Quanquàm sequitur, Hostibus è mediis.

Patria, necnõ pariter desinentia.

Sine quo fortasse id commodius finiretur. Ac si exitus præterea consimiles habuerint, interdum concinnius sonabunt.

Omnibus illa quidem superis pia thura ferebat,
Ante tamen cunctos Iunonis templa colebat.

Quid sit numerus.

Quamobrem nobis quidem erit numerus, quo carmen & aptè fluit, et appositè consistit, idq; simplicium uerborum, coniunctorumq; commune. Nisi ea de re uobis aliter constituendum uidetur. Mihi uerò, inquit Summontius, hæc definitio uehementer sanè arridet, quanquàm me non fugit, tibi perspectum esse, qui de numero scripserunt, eum quidem accipi, quem Græci Rythmòn uocant, uoluisse. Definiri autem ab Aristotele, formæ uerborum esse Arithmòn, utor eius uocabulo, quia Latinè minus perspicuè, minusq; aptè dici potest. Quando utrumque nos eodem significamus uerbo. Id uerò est, quo finitur oratio, cùm omnia uelit numero, quem ipse appellat Arithmòn, terminari. Eodem quoque uocabulo usus ille est, cùm motium temporis; definiret, quorum alterum altero metimur. Sed huius numeri, de quo sermo est, spatia diuidua uult esse. Quod certè nihil aliud est, quàm ex temporum interuallis eum constare statuisse. Cùm enim ea præcipuè sub numerum cadat, quorum tempora motione æstimantur, quemadmodum in cantu moderatione uocum, in fidibus ictu digitorum, in saltatione pedum percussione modus notatur; ita in oratione, quæ pronunciando sub motionis mensuram subijcitur, syllabis quodammodo feriendis uerborum interuallia signamus. Hæc enim à Rhythmicis signa nominantur, quæ singula cùm temporis esse dicant unius, dactylos, atque spondeos quatuor temporum spatio comprehensos græcè τετρασήμους appellant. Tum Syncerus, philosopharis, inquit Summonti, exq; interiorum latebris literarum subtilitatem hanc eruis, qua & peritius hæc ratio numerorum, & acutius explicatur. Nec parum arbitror aduuari, qui debae ipsa dicturus est. An non, inquit ille, aliquando etiam Grammatico philosophandum est? Sanè quidem, inquit Syncerus. Nec dubito iampridem ad philosophiæ penetralia tibi aditum patuisse, cùm tamdiu suorum participem, sociumq; studiorum te habuisset Pontanus ille noster, quo nihil erat in omni doctrina præstantius. Sed audieram exte non semel, cùm probares illud Ennianum, philosophandũ pauris. Nam omnino haud placet. Tum Summontius, præclarũ quidã, inquit, hodie mihi uideor adeptus, quod ætate confecto nondum mihi obtigerat, ut qui me nudum hactenus, simplicẽq; duxerunt esse Grammaticum, eorum iudicio planè incipiam posthac etiam haberi Philosophus. At uerò tu perge Syncere, quo tuæ te cursus ducebat orationis. Hic cùm omnes placidè arrisissent, sanè, inquit Syncerus, cùm ijs, quæ sunt exposita, consequens esse uideatur, ut numerus aut mensio quædam sit, aut certè sub mensionem cadat, cadat autem sub aurium mensuram, quicquid earum iudicio metimur, etiam si abest à uersu, quod ait Cicero,

Quæ sub numerũ cadãt.

Quæ signa à Rhythmicis uocentur.

Quid numerus uocetur.

numerus uocatur. Itaque ortus ex aurium uoluptate, ad delectationem adhibetur quibusdam oblectantium rerum modis, qui sensu definiuntur audiendi, ac nunquàm non toto in uersu, uel in omni parte uerborum, sine intermissione distincta, sine concisione interpuncta oratione, sine circunscriptè conclusa. Ac de pedum moderatione, quibus carmen conficitur, quanquàm superuacaneum est docere, cùm & hodiernis, & superiorum dierum disputatione, quo singula uersu fiant poemata, expositum planè sit, non erit tamen ab re admonere, quibus illi soleant interse modis cohærere, quando ijs, qui propriè dicitur numerus, continetur. Quæ quidem genera multa sunt. Vt enim de carmine Heroo, quod duobus tantum pedibus admissis, sæpissimè, aptissimeq; uariatur, dicamus, aut totum fit ex spondeis, quod rarissimè reperies,

Numerus in toto uersu, et in omni parte uerborũ.

De numero, qui propriè numerus dicitur.

Quot modis interse pedes heroici carminis cohæreant.

An cœlum nobis naturam intro corruptum.

Totũ carmẽ ex spondeis.

Aut, quod nusquàm deprehendes in Epico poeta, ex dactylis. Nondum enim concessum est, ut pes ultimus dactylus sit, præterquàm cùm uel subsequens uersus à uocali incipiat.

Num totum ex dactylis?

Et spumas miscent argenti, uiuaq; sulphura
Idcòq; picis.

Dactylicũ.

Nec dactylicum illud, quod ex Odyssea citatur, ita finiretur, nisi quod sequitur à uocali initium sumeret.

Κύκλωψ τῇ τέ οἶνον ἐπεὶ φάγες αὐσηρόμεας κρέας
Ὄφρ᾽ εἴδῃς.

Vel duarum concretione uocalium una confletur syllaba,

Pectora, nec misero Clypei mora profuit ærei. Et
Nec tantum Rhodope miratur, & ismarus Orphea. Et
Cœumq;, Iapetumq; creat, sæumq; Typhœa.

Sæpe etiam desinit in Trochæum, ut ex dactylis omnino constaret, dummodo syllaba postremo accederet. Quod genus κατάλληκτον Græci appellant.

Cogit hyems, eademq; calor liquefacta remittit. Et
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. Et
Cum sonitu uenit, & ruere omnia uisa repente.

Homerus autem eiusmodi uersu utrumque opus orditur.

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος Et
Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.

Vtroq; pede coniuncta plures habet formas.

Aut pede utroque coniunctum est. Idq; plures habet formas. Quarum aliæ cùm quintam æquè, ac sextã spondeo semper stabiliant sedem, aut semel duntaxat dactylum recipiunt. Ac prima quidem in regione hoc modo,

Quot formas habeat, cum in quinta, sextaq; sede fuerit spondeus.

Nereidum matri, & Neptuno Aegeo. Et
Phasidos ad fluctus, & fines Aeteos.
In secunda autem,
Tum leues ocreas lento ducunt argento.

In tertia uero; cuius exemplum hoc esset,

Tum lento leueis ocreas ducunt argento.

Denique in quarta,

Armatumq; auro circunspicit Oriona.

Aut semel atque iterum, siue bini pedes id genus antegrediuntur.

Saxa per & scopulos & depressas connalles.

Siue consequuntur,

At lucus latè sacer additur Anchiseo.

Siue interponuntur. Non sanè occurrit à quo quidem authore id petam. Sed hoc esset huiusmodi,

Nanque insanda uirûm superi facta indignantur.

Siue bini illis interijciuntur spondei,

Aeneadas magnos & nobile Pallanteum.

Siue alterni collocantur tum illo ipso dactylo præeunte,

Perq; hiemes, æstusq;, & inæquales autumnos. *Tum contrà,*

Pallantis proaui de nomine Pallanteum.

Quapedum uicissitudine hoc genus pulcherrimum redditur. Aut uerò ter interdum antegrediente spondeo,

Electos iuuenes simul, & decus innuptarum.

Interdum subsequente,

Quare etiam atque etiam minimè mirari par est.

Nonnunquàm interiecto & cùm bini dactyli antecedunt,

Curà Deum soboles magnum Ionis incrementum.

Et cùm sequuntur,

Cùm socijs, natoq;, Penatibus, & magnis Dijs.

Aut etiam quater,

Muneribus tibi pampineo grauidus autumno. *Et*

Inter Amadriadas celeberrima Nonacrine.

In quo quidem profectò genere illud seruatum uolunt, ut quartus dactylo plerunq; locus tribuatur, ac perrarò non plus uerba quatuor uersum conficiant, cuiusmodi hæc sunt,

In quo genere quarti da ctylo plerunque locus tribuatur.

Cornua uelatarum obuertimus antemnarum. *Et*

Aequoreæ monstrum Nereides admirantes.

Et ferè fit, ut postremum quatuor syllabas habeat. Quamq; etiam ex tribus constare solet, plerunque tamen antecedente uocabulo, quod ex quatuor sæpius, quàm ex tribus, duabusue syllabis factum, ita dactylum compleat, ut syllaba redundet ad spondæum; qui sequitur, inchoandum.

Postrema sæpius ex quatuor syllabis, q̃ ex tribus

Dardanio Anchise.

Parrasio Euandro.

Turrigeræ antemnæ.

Culminibus desertis.

Idalium frondosum.

Aeria cupressu.

Pampineo grauidus autumno

Liquidóue potest electro

Ex his quoque perspectum est, pes ante ultimum quàm numerosè interdũ biet, nec contracta quidem, nec explosa uocali. Atque hæ quidem formæ eo sunt grauiores, quo tardiore gressu peruenient, ubi insistant, erantq; apud ueteres frequentiore in usu, quàm apud eos, qui sunt consequuti. Cùm enim mores illorum essent, quàm horum, seueriores, duriora illis placebant; his molliora. Aliæ uerò quæ nunquàm non quinto in loco dactylum, in sexto spondeum habent, uel semel præterea, uel bis, uel sæpius alterutrum, uel etiam alternos eosdem pedes admittunt. Quatuor enim in locis, cùm sextum, quintumq; semper excipiamus, aut spondei sunt omnes.

Hæ formæ ut graniores, sic erãt priscis frequentiore in usu.

Quot formas habeat uersus, cui sede in quinta dactylus sit.

Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce.

Aut dactyli,

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Aut bini priores quidem dactyli, posteriores uerò spondei,

Arma, uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris. *Aut contrà,*

Infandum Regina iubes renouare dolorem.

Aut inter dactylos duos bini spondei,

Transadyt costas, & candida pectora rupit. *Aut contrà,*

Postquàm res Asiæ, Priamiq; euertere gentem.

Iam tribus cum dactylis uariatur spondeus his modis,

Arcturum, pluuiasq; hyadas, geminosq; triones.

Iamq; faces, & saxa uolant, furor arma ministrat.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus.

Corpora fundat humi, & numerum cum nauibus æquat.

Contrà totidem modis dactylus,

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

At Regina graui iamdudum saucia cura.

Egressi optata potiuntur Troes arena.

Est in secessu longo locus, insula portum.

Iidem pedes numeros efficiunt periucundos, cùm alterni ponuntur, siue antecedat dactylus,

Musa mihi causas memora quo numine Læso.

Siue spondeus,

Circum claustra fremunt, celsa sedet Aeolus arce.

Hos autem modos si misceamus, poema pulchrius reddemus. Quod Virgilius facit, eiusq; exemplo faciendum esse præcipimus. An huius quidem generis, in quo pes quintus semper dactylus sit, multas deesse formas in illa causarum expositione reperies?

His formis admissis poema pulchrior redditur.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Cartago, Italiam contra Tyberinaq; longe
Hostia; dines opum, studijsq; asperrima belli.
Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo, hic illius arma,
Hic currus fuit, hoc regnum Dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, iam tum tenditq; fouetq;
Progeniem sedenim Troiano à sanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ uerteret arces,
Hinc populum latè regem, belloq; superbum
Venturum excidio Lybiæ; sic uoluere Parcas.
Id metuens, ueterisq; memor Saturnia belli,
Prima quòd ad Troiam pro caris gesserat Argis,
Nec dum etiam causæ irarum, sæuiq; dolores
Exciderant animo, manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæq; iniuria formæ,
Et genus inuisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super iactatos æquore toto
Troas relliquias Danaum, atque immitis Achilli
Arcebat longe Latio, multosq; per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum,
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

In qua etiam raro eadem forma repetitur. Si quis autem ad reliqua spectauerit poemata, quo plures cuiusq; uersus recipit pedes, eo magis hunc uariare potuerit. Quod enim pedes in singulis cuiusq; locis admiseris, totidem utiq; figuras habueris. Quas facilè deprehendes, si pedum numeri, quo illi ordine per carminis regiones recensentur, inter se ita multiplicentur, ut qui sequitur in pręeuntem summam deinceps ducatur. Cùm enim in Iambico, uerbi gratia, prima, tertiaq; pariter, ut quinta, regio pedes quinq; suscipiat, tres autem & secunda, & quarta (nam sexta iambum sibi ex his omnibus unũ adsciuit) hac ratione primum ter quinà confeceris. Deinde quinquies quina dena. Tum uerò ter quina & septuagena. Postremò quinquies ducenauicena quina collegeris, tot itaque erunt huiusce carminis figuræ, cùm Heroici tres ac triginta non plus habeantur. Si detur, quod planè totum ex dactylis constet, hoc dempto, una ex illo numero eximenda est. Quem quidem augeri oporteret, si alij pedes reciperentur, ut Anapæstus,

Fluiorum rex Eridanus. Vt Creticus,
Insulæ Ionio in magno. Et
Ponite spes sibi quisq;.

Quale etiam est illud Horatianum,
Linquimus insani ridentes præmia Scribæ.

Quo plures uersus recipit pedes, eo plures habet formas.

Quot formas habeat carmẽ iambicũ, quot heroũ.

Num creticus pes in Heroo?

Verùm

Verùm qui hunc pedem prorsus excludunt, in illo, quia sequitur uocalis syllabam longam contrahunt, in hoc breuem non mutant. Quanuis consonantium earum, quæ consequuntur, obiectu ita retardari uideatur, ut longiore spatio temporis fluat. Quid? Solus hic inflexit sensus, an non id Creticus inchoat? nisi audiendi sunt, qui in eo pronomine syllabam tum unius, tum duorum esse temporum uolunt. Interim etiam Proceleusmaticus & quintum occupat locum,

Sectaq; intexunt abiete costas. Et primum,
Tenuia nec lanæ per cœlum uellera ferri.

Ac preterea secundum,
Hærent parietibus scalæ,

Vt sextum aliquando apud Lucretium Choreus,
Quippe etenim uentus subtili corpore tenuis. Et Anapæstus,
Effigies quoque debent mittere tenueis.

At quibus postremæ quidem syllabæ curæ non sunt uterque pes uel Choreus erit, uel Anapestus. Omitto quàm sepe in postrema regione trochæus reperiatur. Nam & in quarta aliquando deprehensus est,

Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros. Et
Rumpe moras, omneis turbataq; arripe castra.

Nisi, tela, in illo uersu spondeus est, quod Grammatici probant, in hoc, turbataq; dactylus non explosa ultima uocali, & si pleriq; legunt, & turbata arripe castra. Sed quanquàm defendi non potest quin primam in illo sedem.

Fluuiorum rex Eridanus.

Teneat Anapæstus, quem nusquàm alias in eodem authore deprehendes, tenuia tamen, & abiete, & ariete, cęteriq; huiusmodi pedes in dactylos uertuntur; ac tenueis in spondeum; si uocalis quæ alteram antegreditur consonans euadat; ut in hoc uersu,

Tityre pascentes à flumine reice capellas.

Dactylum quintum pedem efficiunt, si in unam syllabam duæ primæ uocales coalescant. Ille idẽ præterea Choreus nonnunq; pro dactylo usurpatur.

Olli seruà datur operum haud ignara Minerue. Et
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Vt pro spondeo Iambus,

Ecce trahebatur à templo, adytisq; Minerue. Et
Liminaq; Laurusq; Dei, totusq; moueri.

Nisi, quod magis probandum est, incisione producitur syllaba, ex qua initium pes qui sequitur ducit. Iam & Palimbacchius interdum in hoc genere quem capiat locum reperit, non modò apud Græcos, qui in hoc etiam plus libertatis uendicarunt, ut

Πλάγχθει, ἐπεὶ τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε.

In quo primus ille pes obuius fit, uerùm etiam apud nostros, cuiusmodi est,

Num proceleusmaticus?

Nũ choreus? Num Anapæstus?

Nũ trocheus alibi quàm in sexta?

Num palimbacchius.

Te Corydon ò Alexi. Et
An qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Quæ uolubilius, quæ segnius ferantur, & ubi adhibeatur.

Sed quæ sequitur uocalis facere potest, ut dactyli omnes hi fiant. Illa porrò carmina uolubilius, segniùs ue feruntur, quæ plures, pauciorésue dactylos habent. Nam & longiora uerba uolubiliora sunt, quàm breuiora; quia plura hæc, quàm illa, & quæ è breuibus syllabis, quàm quæ fiunt è longis. An poterat planius ostendi cœli fores quàm primũ patuisse, quàm hoc uersu?

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Aut equitum agmen accelerasse, quàm illo?

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Contrà ad grauitatem & regiam & senilem ostendendam quàm accommodatè dictum est?

Olli sedato respondit corde Latinus.

Quid illud?

Præfractaq; quadrupedantum
pectora pectoribus rumpunt.

Pedes syllabis, nõ interuallis metiendi ad numerum.

Nónne aptè & duarum uoce syllabarum, & spondeo insistit? cùm & dactyli, & longiora uerba præiuissent, quo incitatam equorum conflictionem significaret, eaq; concursatione factum, ut se illi interse retardarent. Itaque hac in re mihi admodum Ephori sententia probatur; qui syllabis quidem metiendos pedes, non interuallis existimat. Neque enim æqualem dactylo, spondeum, neque Iambo Choreum esse intelligit. Quæ ratio metiendi plurimum ualet ad hoc numerosum inueniendum, quod in oratione poetica quærimus, ut postea dicetur. Verùm in hac pedum colligatione prospiciendum iubent, ne qua fiat illorum solutio. Solui autem dicuntur pedes, cùm uerba sine ulla concisione colligantur, quod certè fit, ubi integros, singula singulos pedes contineant, aut si nihil usquàm superet syabarum, unde subsequens pes incipiat, eamq; ob causam ἀσύζυγον uocatur. At si raro fit, inter uirtutes recensetur. ut,

Ne qua fiat in pedũ colligatione solutio.

Qũ solui dicãtur pedes. Solutio si raro fit, in uirtutib̃ censẽt.

Duc age, duc ad nos, fas illi limina Diuũm. Et
Υἱ βρεος εὔνεκα τῆς δὲ, σὺ δ' ἴγεο, πείθεο δ' ἡμῖν.

Nam quibusdam in locis tantum abest, ut uitio dandum id sit, ut & Pontani, & mea sententia summi authores nonnunquàm hoc ipsum magna cum laude fecerint. Ea uerò de re, ut uirtus quidem sit, memini aliquando memulta latè, abundeq; disseruisse, quæ sanè nos differentes in eo libro, quem Actium de nostro inscripsit nomine, ille idem Pontanus inducit, ut de numeris præterea complura; quæ nos hoc loco prætermittenda arbitramur, cùm profectò sit, unde eadem peti possint, aut breuiter, si quando oportuerit, attingenda. Sed quanquàm ille pedum progressus maximè probatur,

Colligatio pedũ maximè probatur.

Oceanum interea surgens aurora reliquit.
Sic fatur lachrymans, classiq; immittit habenas.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere Coloni.
Antenor potuit medijs elapsus Achiuis.
Nuda genu, nodoq; sinus collecta fluenteis.
Nulla domus tales unquam contexit amores.
Cœlicolæ nondum spreta pietate solebant.

Quoteni pedes interdũ soluũ ĩcedãt.

Occurrent tamen interdum à primo tum bini pedes, qui soluti incedant,
Iussi numina magna Deũm ueneramur. Et
Sed tu desine uelle, Deũm præcepta sequuti.
Tum etiam terni,
Scilicet omnibus est labor impendendus.
Nedum in postremis,
Nam Polydorus ego, hic confixum ferrea texit.
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.
Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida myrtus.

Cuius quidem modi permulta passim comperies, quaternæ autem solutiones haud quaquàm ita faciles repertu sint, ut
Dum fortuna fuit feror huc & littore curuo.
Argenteisq; rosas, aut igni pinguia multo.
Littore in extremo ceu naufraga corpora fl ictus.
Ac longe minus quinæ, ut
Extremum tulit, haud cruor hic de stipite manat

Quam uim habeãt uniũ syllabæ uerbũ.

Qui quidem sanè caderet uersus, nisi unius syllabæ uocibus fulciretur, primo enim excepto, nullus in eo pes est, qui mutua coniunctione substentetur, Atque ea uis est fulciendi unius syllabæ uerbis, ut ille uersus etiam sine ulla pedum colligatione, quem ut diximus, ἀσύζυγον uocant, auribus poetæ arriserit,

Duc age, duc ad nos, fas illi limina Diuũm.

Cùm à uoce id genus primi pedis initium sumatur, eumq; continuò quatuor uerba, quæ spondeos quidem duos conficiunt, sequantur. Iam alter à primo non modò solus solutè progreditur, ut,

Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

Sed cùm sequentibus etiam, uel contmenter, ut,

Apparet domus intus, & atria longa patescunt.

Atque inter primos, postremosq; aliquando duntaxat unus colligatur, ut,

Nec iam se capit unda, uolat uapor ater ad auras.

Quãobrẽ pedes solũtur.

Soluitur autem à poeta interdum illa copulatio numerorum, qua iucunde apteq; carminis fluit decursus tum uarietatis causa, ne similitudo offendat, eademq; ratio progrediendi, si uehementer conquisita, & affectata uideatur, tum quia non omni sanè in re suauitas hæc orationis, iucunditasq; requiritur. Neque ab Epico, qui docet, aut præcipit, neque ab eo, qui improbos in-

Nõ ab omni poeta quod

numerosũ ẽ, ęq; ex igit.

sectatur, quod quadratum est, quod rotundum, & uolubile, eodem modo, atque ab Heroico poeta exigendum. Neque aptam, numerosamq; uerborum constructionem æquè comica poesis, ut Iambica postulat. Cùm illa quidem ea loquendi forma utatur, quæ proximè ad quotidianam solutamq; accedat, hæc uerò maximè studeat numeris placere. Quid Bucolicum carmen? nónne tanquàm proprium id sibi asciuit, ut pes quidem quartus liberè soluteq; fluat, isq; dactylus sit?

Bucolici propria est quarti pedis solutio, qui dactylus sit.

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arua,
Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.

Quod nouusquequaque Virgilius, ut Theocritus, seruauit. Iã in bellico, ut sic dicã quod κατεύθυνον appellant, geminos quidem dactylos unus consequitur spondeus.

Bellicũ carmen cuiusmodi sit.

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Huiusmodi est initium Iliadis,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος

In commutato, quod περιοδικόν, dactylus atque spondeus alterni progrediuntur,

Cuiusmodi cõmutatum.

Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur.

In Sapphico spondeus & primum & postremum obtinet locum,

Cuiusmodi Sapphicum.

Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere Coloni.

Est & ciuile, quod ποιητικόν, id nec morati, nec pathetici quicq; hẽt.

Cuiusmodi ciuile.

Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.

Perfectum uerò dicunt, cui pars nulla prope desit orationis.

Cuiusmodi sit perfectũ.

Ad quam tum Iuno supplex his uocibus usa est.

Hęc septem Epici carminis genera Græci literaturæ doctores fecerunt. Quorum profectò quinque superiora ad id quod quærimus ualent. Reliqua autem cùm minimè ad carminis figuram attineant, postremum quidem à Grammatico quopiam excogitatum esse uidetur nimia sollicitudine in poemate leuissimum quidq; inquirente. Alterum uerò uim eam attingit, quæ proximis disputationibus, superioribusq; tractata est. At, inquit Summontius, potuisses meæ causa Grammaticis parcere. Quando in eorum me cœtum tua nominatione coopta sti. Facessat, inquit ille, hæc suspicio, longeq; absit ab hominum cogitatione, ut uideat illorum studia, qui Grammaticam profitentur, improbare, aut in eo te numero habere, in quo Scuccam, eiusq; similimos duxi. Qui sanè inuidi eorum, & obtrectatores, qui multa & disertè & doctè scribunt, nihil profectò probant ex his, quę uel ipsi ignorant, uel se nusquàm legisse meminerunt. An meminerint ea se legisse, qui pauca legunt, qui omnem ætatem in duobus, tribúue ad summum libris ueterum tractandis, omnemq; operam consumunt. Atque utinam id probè. Hoc loco Scuccæ recordatio cùm risum mouisset; Verùm, inquit Syncerus, ut id quod institutum est, conficere pergamus, ad tuendam quidem hanc numerorum colligationem, syllabarum in uersu concisiones obseruant;

Horũ generũ q̃ ad numeriũ uleãt.

Quorum locis uerborum particulæ incidi possint.

Syllabarum ẽcisiones in uersu ad numeros colligãdos obseruandæ.

æquarum aliqua pes, qui sequitur, initium ducat. Harum quæ unius syllabæ est, uel secundum, uel tertium, uel utrumque subsequitur pedem. Satis est autem huic alterutrum esse locum. Nam post secundum pedem in hoc eam deprehendes,

Vnius syllabæ cõcisio secundum, tertiúmue, aut utrunq; pedem sequitur.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Post tertium in illo,

Iamq; faces & saxa uolant, furor arma ministrat.

Post uerò utrumque in his,

Arma, uirumq; cano, Troiæ qui primus a b oris
Italiam fato profugus Lauinia uenit
Littora, multum ille & terris iactatus, & alto,
Vi superum sæuæ memorem Iunonis ob iram.

Quæ porrò trochaica dicitur, cùm integer superet trochæus, totidem fit in locis, in cæteris neutiquàm notatur. Statim enim à secundo pede illa est,

Totidem in locis fit cõcisio Trochaica.

O' passi graviora, dabit Deus his quoque finem. Et
Quidue dolens regina Deũm tot uoluere casus.

A' tertio uerò est,

Inferias Orphei Lethæa papauera mittas.

Atque ut uides illam alterius generis incisio consequitur, hanc antecedit. Ac trochaica quidem, si à breui syllabã subsequens uerbum incipiet, in dactylum abibit. Sin uocalis longa uerbi sequentis excipiet, in spondeum uertetur, ut in hoc,

Post ubi nona suos aurora ostenderit ortus.

Si quis autem uelit, quot locis uerborum particulæ incidi possint, percensere, non dubium est, quin syllabæ unius incisionem uel post quintum pedem comperiat, ubi in partẽ orationis, quæ syllabę sit unius, desinat carmen, ut,

Quot locis uerborum particulæ inc id possint.

Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Ne dum post alios omnes, qui huic antecedunt, ut,

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Quid trochaica, nónne à quarto etiam pede fit? ut in uersu illo superiore,

Dat latus, insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

A' primo enim hæc est,

Conuenere uiri. Et
Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus.

Atq; huiusmodi concisionẽ eodem in uersu geminatã persæpe cõperies, ut,

Quam sæpe Trochaica fiat concisio.

Purpureo uelare comas adopertus amictu.

Exemplum quo sæpius hanc factam docerem ex Virgiliano poemate neutiquàm occurrit, quale esset,

Intus opaca domus feritate cruenta Cyclopis. Et
Conuenere, uocarat ad alta micantis Olympi.

Sed hæc fortasse numeros habent, quos minimè aures aspernentur. Quod

autem huius figuræ esset,

Turba parata subire pericla iubente Latino.

Quanquàm omni ex parte trochaica colligatione copulatur, nihil tamen est, quominus in offensionem audientis incurrat. Ac de numero, qui in mutua pedum copulatione perspicitur, satis, superq; dictum est. Numerosum uerò illud, quod non modò in toto uersu consistere diximus, sed in omni parte uerborum, siue incisè distinguatur, siue membratim insistat oratio, siue circunscriptione claudatur; facilè deprehendemus, si & syllabarum, & accentus cuiusq; tempora notanda esse intelligemus. Si Rhythmicorum illa in re potius rationem, quàm Grammaticorum sequemur. Si pedes syllabis metiendos, non ex interuallis de Ephori sententia censeamus. Nam duo Grammatici cùm faciant tempora; illi dimidium quoque adijciunt. Assentiuntur enim breuem unius esse temporis uocalem, duorum, quæ longa est, ijs, quæ cum alterutra consonant, syllabamq; efficiũt, singulis dimidium concedunt. Itaque os cùm duorum esse temporum uelint Grammatici, priore litera ui sua producta, Rhythmici dimidij quidem accessione ob eam, in quam desinit, in longius ducunt. Quid si uel duæ, uel plures id genus literæ cum uocali copulentur? nónne consentaneum est, ut pro numero illarum temporis aliquid accedat? Ac planè fatendum est, cùm sequuntur, plus ualere ad producendum, quàm cùm antecedunt. Iam duæ cùm uim habeant producendi, siqua illis adiuncta sit, num prorsus erit otiosa, nihilq; omnino afferet momenti? Syllabam uerò, quæ acutè sonat, longiorem esse aiuntq, uàm eam, quę grauiter, eandemq; seipsa fieri productiorem, cùm inclinatur. Plus enim temporis habere cumq; eadem in syllaba, quàm simplex cum. Idem porrò sonãdi tenor cùm ad ultimam syllabam ea de causa transfertur, spatium quoque dicunt augeri. Ita cùm ego quidem & magno æquæua parenti, scribere potuissem, uisus mihi sum grandiore numero dixisse,

Magnoq; æquæua parenti.

Quem etiam & uerborum illa, de qua dixi, conuenientia, & hiatus reddit pleniorem. Aspirationis quoque asperitate cùm pronunciatio retardetur, uerisimile est temporis quandam accessionem afferri, quod etiam Grammatici animaduertunt. Quin & syllabam, quæ apice circunducto notatur, uocuiæ flexione in pronunciando putant fieri longiorem. Hanc enim illi uim esse, ut eo productior breui sit, quo breuior producta. Nec uerò par est, ut minus literarum soni obseruentur. Cùm dubitet nemo O & A cæteris longè plenius sonare. Quamobrem merito laudatur Virgilius qui maluit dicere,

Multa quoque & bello, Quàm Multa etiam bello.

Cur enim hoc illi minus aures impleret, quid aliud causę, quàm literarum sonos fuisse arbitreris? Quid illud?

Aëre cière uiros.

Vt sit magnificus accẽtus flexione, nedum literarũ sono? & quod sequit,

De numero, q. non modo in toto uersu, sed in omni etiam parte uerborum cõsistit.

Tempora, & syllabarũ, et accentus notanda.

Rhymicorũ ratio præferenda.

Pedes syllabis metiendi.

Vocales aut minus, aut duorum temporum sunt.

Consonæ dimidij temporis sunt.

Plusquã valent cùm sequuntur, quã cũ antecedũt.

Syllaba acuta lõgior grauì.

Circunflexa utraque longior.

Virgilius laudatur.

Martemq; accendere cantu.

Nónne ab acuta uocula, quæ sequente coniunctione in posteriore auditur syllaba, numerum habet? quo certè caruisset, si dictum esset,

Et Martem accendere cantu.

Ad hunc præterea numerum consiciendum non sanè parum ualent quæ de hiulco uocalium concursu, ac de concentu literarum abunde dicta sunt. Cũ illo procerius, hoc sonantius suauiusq; carmen reddatur. Memoria quoque tenẽda sunt, quæ de breuioribus uerbis, quæ de lõgioribus docui. Illa enim quo proceriora sunt, eo nõ solũ uelociores cõficiũt numeros, uerũ etiã molliores, ut,

Fortissima Tyndaridarum.

Contrà eo seueriores, quo contractiora. Nam

Ex illo qui me casus, quæ Turne sequantur
Bella uides; quantos primus patiare labores
Bis magna uicti pugna, uix urbe tuemur Spes Italas.

Cùm planè trium syllabarum duntaxat ultimum habeant uerbũ hæc singula, nisi medium, in quo proximum à postremo ex quatuor syllabis cõstat, ut segnius, ita grauius feruntur. Quando enim accentus temporum accessione pronunciationem remorantur, quo plures illi sunt (plures autem erũt, si plura uocabula uersus habuerit,) cursum profectò numerorum hoc magis retardabunt. Age uerò si uel incisę orationis in uersu, uel intermissæ, uel circumscriptæ pedes, quibus illa insistat, animaduertamus, quamplures esse reperiemus? Nam ut ea pertendamus incisa,

Non erit auxilio nobis Aetolus, & Arpi,
At Messapus erit, felixq; Tolumnius, & quos
Tot populi misere duces.

Si postrema illorum uerba attendamus, trochæum, spondeum, Choriãbos, & binos dactylos in ijs deprehendemus. Ex quibus quidem incisionibus membrum fit unum, quod clauditur Choriambo. Inspiciamus deinde quę sequitur,

Nec parua sequetur Gloria delectos Latio.

Choriambum uides, ut in hoc,

Est & Volscorum egregia de gente Camilla
Agmen agens equitum.

Sæpe enim hunc pedem habere cõperiuntur & incisiones, & membra, ut,

Italiam fato profugus. Cassandræ impulsus furijs.
Misit aui similis, Demissa ex humeris.
Arrectæq; horrore comæ. Fundamenta locas.
Nix humeros infusa tegit.

Sæpe uerò molossum, Imperio læti parent.
Nox operit terras. Admonet in somnis.
Luderet Aeneas. Num fletu ingemuit nostro?
I sequere Italiam uentis.

Ad numerũ hiatus, concẽtusq; literarum multum ualent.

Breuiora uerba grauiores numeros faciunt.

Lõgiora molliores.

Quàm multi pedes sint uel incisæ, uel intermissæ orationis, uel circumscriptæ.

Trochæus, Spondeus, Dactylus, Choriambus.

Molossus.

Aliquando dactylum *Num lachrymas uictus dedit?*
Consilium uultu tegit. *Idem ambas ferro dolor.*
Quid illa uno in uersu incisa tria?
Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Nulla in sede carminis nõ aliquo pede insistit oratio.

Nonne primùm Molosso, postremum spondeo, medium trochæo insistit?

Quanquàm ille spondeus efficitur uersus progressione. Ac ne quem in carmine locum prætermittamus, fit interdum, ut primo pede subsistat, siue incidatur, siue intermissione retardetur, eoq; uel dactylo,

Dactylo in rima.

Non si mihi Iuppiter author *Spondeat.*
Haud equidem sine mente reor, sine numine Diuûm
Adsumus.
Quod tumidis submersum tunditur olim *Fluctibus.*
Lauinia uenit *Littora.*

Choriambo.

Vel Choriambo *Nec tendere contrà* *Sufficimus.*
Annua uota tamen, sollenneisq; ordine pompas *Exequerer.*
Interea medium Aeneas iam classe tenebat *Certus iter.*
Quæ tantùm accenderit ignem
Causa latet. *Scyllaq; Cloanthus* *Cærulea.*

Pæane primo.

Vel pæane primò *Fruſtraq; uocantem*
Auxilia. *Solam nam perfidus ille* *Te colere.*
Te amice nequiui *Conspicere.*

Molosso.

Vel molosso, *Primus qui legibus urbem*
Fundabat. *Non hostem, inimicaq; castra*
Argiuûm. *Atteq; furore* *Conclamant.*

Antibacchio

Vel antibacchio *Atque in præsepibus ursi* *Sæuire.*
Alia armà Latinis *Quærenda.*

Dorisco.

Vel dorisco,
Non tam præcipites, biuugo certamine campum *Corripuere.*
Immèmores socij uasto Cyclopis in antro *Deseruere.*

Epitrito q̃rto.

Vel epitrito quarto,
Ambrosiæq; comæ diuinum uertice odorem *Spirauere.*

Trochæo.

Vel trochæo, *Dulcis, & alta quies.*
Sic memorat, simul Aeneam in regia ducit *Tecta.*
Populeas inter senior se attollere frondes *Visus.*
Rapit arma manu, nodisq; grauat um *Robur.*

Spondeo.

Vel etiam spondeo
Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis.
Namq; fore illustrem fama, fatisq; canebat *Ipsam.*
Aut cùm liquentia mella *Stipant.*

In secunda sede Choriambo.

Hæc eadem uel incisio, uel intermissio fiat secundo loco, pes ille aut choriambus erit,

Vrbs

Vrbs antiqua fuit. *Hostia diues opum.*
Exciderant animo. *Iudicium Paridis.*
Aut Molossus, *Quippe uetor fatis.*

Molossi. Pæane tertio, Molosso præeunte.

Aut Pæan tertius Molosso præeunte,
Nil nostri miserere.

Antibacchio antegrediẽte Choriambo.

Aut Antibacchius *Accipies secura.*
Antegrediente Choriambo, aut doriscus,
Littora deseruere.

Dorisco. Quarto Epitrito.

Aut quartus Epitritus
Vndique conuenere.

Dactylo.

Nisi maius trochæũ, ne ab Heroici carminis mẽsione recedamus, aut dactylus
Imperio premit *Aeoliam uenit.*

In tertia sede.

Qui tamen esset Pyrrhichius, modo initium à Choriambo sumeretur. Si tertio loco, idem propemodum erunt pedes. Iam deinceps à tertio uerborum progressus insistet, uel spondeo,

In quarta.

Culmina peró; hominum uoluantur, peró; Deorum.
Teró; quateró; solũ scindendũ *Pascunturq; ignes nocturni.*

Spondeo. Trochæo.

Vel trochæo, *Altius ad uiuum persedit.*

Dactylo.

Vel dactylo *Sic cunctus pelagi cecidit fragor,*
Mox & frumentis labor additus.

Dorisco.

Vel dorisco, *Post ubi iam thalamis se composuere.*

Quarto Epitrito.

Vel quarto Epitrito, *Scilicet oĩbus est labor impendendus.*
Quid deinde? nónne & trochæo?

In quinta. Trochæo.

Atque ipsæ memores redeunt in tecta.
Nec mos bellantes una stabulare.

Dactylo.

Et dactylo?
Nec cùm inuectus equis altum petit æthera.
In tenuì labor, at tenuis non gloria.

Postremo in terdum duorum pedum.

Postremo quanq; concludi spondeo carmen oportet, tamen uerba, quibus ibidem cursus orationis intermittitur, binos nonnunq; pedes complectuntur. Cuiusmodi sunt, Alphæsibæi, Hippocoontis, Pyrithoumq;, Tyndaridarum, Antennarum, Abscondantur, Vexarentur, Vulatu, Hyacinthus, Comitatu. Ac tametsi ferè fit, ut comprehensio uerborum eodem, quo uersus, numero terminetur, non tamen profectò est, quin primo, aut quoto quoque pede libebit, finiri possit, ut,

Quoto quoq; pede libebit, comprehensio finiri potest.

Quanquàm animus meminisse horret, luctuq; refugit;
Incipiam. *Et*
Quæq; ipse miserrima uidi,
Et quorum pars magna fui. *Et*
Maior rerum mihi nascitur ordo,
Maius opus moueo. *Et*

Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt,
Q uæ me cunq; uocant terræ. Et
Mutemus Clypeos, Danaumq; insignia nobis
Aptemus, Dolus, an uirtus quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Et
Cùm Iuno æternum seruans sub pectore uulnus
Hæc secum. Et
Méne incœpto desistere uictam,
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem?
Q uippe uetor fatis. Et
Ast ego, quæ Diuiim incedo regina, Iouisq;
Et soror & coniux, una cum gente tot annos Bella gero.

Qui initijs cõueniãt pedes. Qui uerò initijs conueniant pedes, haud dubiũ sit, alios non esse, quàm quos heroum carmen admittit. Verba autem seorsum intuenti, ut quodq; per se pedem constituit, non dubitandum est, ab eo principium ducendum esse, quod primam syllabam producat, atque uel in dactylum, uel in spondeũ abire possit; siue duarum sit syllabarum, ut trochæus,

Trochæus. Arma, uirumq; cano.
Atque ea diuersa penitus dum parte geruntur,
Turnus ut in fractos aduerso Marte Latinos.

Molossus. Siue trium, ut Molossus,
Infandum regina iubes renouare dolorem.

Antibacchi. Aut Antibacchius,
Durate, & uosmet rebus seruate secundis.

Doriscus. Siue plurimum, ut Doriscus,
Conticuere omnes.

Choriambus. Aut Choriambus,
Interea medium Æneas iam classe tenebat.

Epitritus quartus. Aut Epitritus quartus, Conuenere uiri.

Prim. Pæan. Aut primus pæan.
Magnanime Aenea.

Q ui ex duobus interdum fit uerbis hoc modo,
Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem.

Spondeo. Nam cui perspectum non est orationem à uoce nõnunquàm incipi, ex qua nihil stat uel præter unum spondeum, ut,
Postquàm res Asiæ.
Vrbem præclaram statui.

Dactylo. Vel præter unum dactylum, ut,
Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Hoc loco Scortianus. Nunc, intelligo quàm nimiæ religionis eorum fuerit obseruatio. Q ui cùm initium Iliados,

Μῆνιν ἄειδε θεά. Et Odyssee,
Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα. Et Aeneidos,
Arma, uirumq; cano.

A uerbo duarum syllabarum. A uerbo duarum syllabarum sumptum esse animaduertisset, Lucanũq; iuxta, ac si eandem esset rationem secutus, sic orsum,
Bella per Emathios plusquàm ciuilia campos.

Hoc in poemate ordiendo seruandum esse uoluerũt. Q uasi uerò nõ aliter Georgica, ut Culicem, aliosq; lusus præteream, ordiatur Virgilius. De rerum natura Lucretius, utrũq; heroicum poema Papinius, Pelei nuptias Catullus, Metamorphosin Ouidius, de bello Punico Italicus, de raptu Proserpinę Claudianus. Q uid & pater ille & rex poetarũ Homerus? an nõ ita incboat Batrachomyomachiam,

Ἀρχόμενος πρῶτον.

Quem imitatus Apollonius hunc in modum Argonautica exorsus est,

Ἀρχόμενος σεο φοῖβε.

Iam illud Arati uulgatum est, cùm Phænomena scripturus esset,

Ἐκ Διὸς ἀρχόμεθα.

Illudq; Hesiodi cum origines Deorum,

Μουσάων Ἑλικωνιάδων.

Atque Oppianus de piscibus operi luculento hoc principium dedit,

Ἐθνεά τοι πόντοιο. Et de uenatione.
Σοὶ μάκαρ αἴδλω.

Tum Cossus, quandoquidem, inquit, de his fieri mentio cœpta est, quæ superstitiosè, ut ita dicam, obseruantur, Romæ audio fuisse qui sibi admodum placeret, cùm diceret, se animaduertisse in primo cuiusq; poematis uersu nullam prorsus coniunctionem reperiri. Q uod ea de causa factum putabat, ut liberius flueret carmen. Nec haberet, quo insistens in aurium offensionẽ, incurreret. Eiusmodi enim esse ostendebat,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηλιάδεω ἀχιλῆος.
Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.
In noua fert animus mutatas dicere formas.
Bella per Emathios plusquàm ciuilia campos,
Peliaco quondam prognatæ uertice pinus.
Q uid faciat lætas segetes, quo sidere terram,
Lusimus Octaui gracili modulante Thalia.
Ordior arma, quibus cœlo si gloria tollit.

Num aliquæ coniunctio in primo operis uersu? In quibus nulla coniunctio.

At uerò ex Græcis Hesiodus in Herculis Clypeo, & Oppianus in eo quod dixi de piscibus poemate elegantissimo, ex nostris Maro ipse, Lucretius, Papinius, Claudianus, hanc tanquam censoriam notationem esse tollendam declarant. Q uippe cùm ita exordiantur,

In quibus cõiunctio reperitur.

Ἡ οἷη πόλιν τοῦσι δόμας, τ᾽ πατροίδλα γαῖαν.
Ἔθνεά τε, πόντοιο, πολυκτερέας τε φάλαγγας.

Arma, uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris,
Aeneadum genitrix, hominum, Diuumq; uoluptas.
Fraternas acies, alternaq; regna profanis.
Magnanimum Aeaciden, formidatamq; tonanti,
Inferni raptoris equos, afflataq; curru.

Hoc adolescentium sermone cùm mentes, aureq; erexißent seniores, quasi neutiq̃ ab eo se iudicio liberos agnoscerent, tum Syncerus, Accepi nescio quem ex ijs censoribus, qui quidem in urbe illa nunquam defuerunt, hac in me gemina usum esse animaduersione, cùm ab eo uersu initium duxerim,

Defenditur Syncerus, cuius princeps operis versus à Grammaticis notatur.

Virginei partus, magnoq; æquæua parenti.

Quod sanè uterq; horum satis commodè defendit. Verùm ut hoc aßetior, exordium aptißimè duci à uerbo duarum syllabarum, quod sequente Iambo in dactylum exeat, quanquàm illud Hesiodi à spondeo incœptum est,

Μοῦσαι πιερίηθεν ἀοιδήων κλείουσαι.

Ita non temere concedam, quod de coniunctione præcipiunt, præsertim si ea intendatur, pleniorq; reddatur sonus, ut in hoc,

A Trochæo initiũ aptißimè ducitur. Cõiunctione plenior redditur sonus.

Arma uirumq; cano.

Sed iam audio, qui reclament, ne hoc, uerùm illud eße tanti operis primordium asseratur,

Aeneidos a primus sit versus.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena.

Quibus profectò tam inueterato errore imbutis, & si permittendum est potius, ut in eadem ignoratione uersentur, quàm respondendum, id tantùm dicam; si Virgilij quoq; illud est, ipse tamen in animo nunq̃ fuißse, ut hoc principium, ita illustre, ac tam magnificum opus haberet. Caue putes in ordiendo hoc ei iudicium defuißse, quod in omni reliquo poemate ipse tam acre, tamq; prudens adhibuit. Num ille Homerum? num Hesiodum? num aliquè alium ex ijs, quos ipse imitabatur, ita ordientem animaduertit? Atqui Homerus cùm de rebus ad Troiam gestis opus diuinum confecißet, poterat Odyßeam exordiens eius meminißse. Videtur autem quicunque hos composuerit uersiculos, id de industria feciße; ut & cum primordio possint operis coniungi, et ab eo, cùm libuerit, separari. Separentur itaque, purumq; illud exordiũ relinquatur, quod tum uoluißse authorem ipsum putandum est, tum poetarum nemo illorum, qui in eius mentionem inciderunt, aliter se habere testatur. Quid illud causæ, quo innituntur, ut conunctio uitetur? quàm facilè refelli potest? cùm uel hiatus, uel interpunctio longè magis carminis progressum remoretur. Atqui illud idem, quod Aeneidos principium eße contendunt, utrumque statim habet,

Ille ego; qui quondam gracili modulatus auena.

Et exordium Odysseæ,

Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλά.

Hiulcum uerò uocalium concursum Iliados initium,

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηλιάδεω ἀχιλῆος

Quam ob rem ut ostendi, perspiciendum est, qui pedes initia, qui clausulas deceant. Deinde qui segnius eorum, qui celerius progrediantur, quonam modo interse copulentur, præterea quem locum aptius maiora, quem minora uocabula teneant; ut illæ interse commodius aptentur. Iam quid sit, quo contractiora hæc ipsa, productiora fiant. Tum uerò tenendum est non modò quo breuioribus è syllabis constant, sed etiam quo proceriora sunt, hoc in citatius illa uolubilius q; ferri. Postremò intelligendum, ut sit numerosa uocalium concursio, quàm aptè interdum fiat literarum conflictio, quantum concinnitatis habeat uocum, syllabarumiõe conuenientia, quàm multum deniq; ualeat ad quem inquirimus numerum conficiendum uerborum continuatio. Numerorum enim diß similitudo ex pedum uocumq; uarietate profecta est. Quando proceriores quidẽ pedes dicuntur esse molliores, cuiusmodi sunt Pæanes, & Dorisci, secundum hos Choriambi & Epitriti, qui nisi in fine contraherentur, firmitatis multum haberent. Deinde Anapæsti, & Dactyli, qui etiã iucundiores, stabiliores autem ac seueriores, qui productiores desinunt syllabas, eaq; de causa Iambo leuior Trochæus, uolubiliores, qui ex breuioribus fiunt, ut Proceleusmatici. Qui ex longioribus, tardiores, ut Moloßi. Nam ut plus temporis quisque obtinet, ita segnius, grauiusq; incedit. Quo circa spondeus, qui cùm totus producatur, breuißimus quoque numero syllabarum est, grauißimus, tardißimusq; omnium habetur. Hæc gravitas numerorum, hæc tarditas progrediendi, si uel pondus uerborum, uel temporis aliquid, quemadmodum exposuimus, uel utrunque accedat, augetur. Simpliciores autem pedes hi sunt, qui quotidiano sermone sese offerunt, quales Iambi esse dicuntur, atque etiam Trochæi, cæteri porrò exquisitiores. Asperiores uerò, leniorésue efficiuntur, cùm asperius, leniùsue interse coniunguntur. Quam & lenitatem numeris, & asperitatem affert etiam colligatio syllabarum, literarumq; concursus, & collocatio uerborum. Hæc de numero atque forma orationis hoc loco quæ dicerem, habui, si quis est, qui plura desideret, iam locum ostendi, unde hæc ille sibi petat. Hic Summontius, imprudentibus fortasse, inquit, uideri potest Pontani loco ostenso occasio data esse præterea querendi. Quis est autem paulo prudentior, qui non perspiciat de ratione hac tota numerorum te ita distinctè, atq; abunde disseruisse, ut nihil prætermissum arbitretur. Tu uerò perge exponere quæ tibi reliqua sunt Syncere ex his, quæ ad ornatum dicendi, splendoremq; pertinent. Tum ille, ut exequar, inquit, Summonti quod iubes, consequens est, ut habitum orationis, & quasi colorem aliquem sub aspectu ponamus. Hoc illa sanè uestietur, si luminibus & sententiarum illustrabitur, & uerborum. Sed quanquàm illuminan-

Enumeratio eorũ, q̃ dictæ sint de numero formaq; poeticę orationis.

Quo ex pediũ uarietate numerorũ dissimilitudo oriatur.

Numerorum dissimilitudo ex uaria structura uerborum, uariaq; syllabarũ colligatione, uariaq; literarũ cõcursũ.

De habitu et coloreorationis.

De figuris sententiarũ.

dæ sententiæ ratio multiplex est, propria tamen eius conformatio dicitur, quæ à simplici dicendi modo recedit, ut aliquid præterea significemus. Quæ uerò Cicero ornamẽta appellat, clarissima illa quidem sunt, plurimumq; admouendum audientis animum ualent. Sed quorum per multa enunciandæ sententiæ potius artificium, quàm conformandæ speciem quibusdam uiris in dicendo perfectis sanè, ac perpolitis habere uideantur. At siue conformationes, siue potiùs uirtutes ducantur esse orationis, id, quod expetimus, assequemur, si rem breuiter explanemus, si oculis dicendo subijciamus, ut deinde ostendemus, & iam antea, cùm explicaremus narrandi genera, ostendimus, si proponamus dilucidè, quid simus dicturi, si ab re digrediamur, si redeamus unde diuertimus, ut eodem quoque loco ostensum est, si desiniamus, ut

Illustris explanatio.
Sub aspectũ subiectio.
Propositio.
Digressio.
Reditus ad propositum.
Definitio.

Ira breuis furor est. Et
Pulchrumq; mori succurrit in armis. Et
Sed formam extendere factis
Hoc uirtutis opus. Et
Fama malum, quo non aliud uelocius ullum.

Ex Posito sententiæ.

Si exponamus appositè sententiam nostram, ut
Quandoquidem Ausonios coniungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec uestra capit discordia finem,
Quęcunque est fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros, Rutulúsue fuat, nullo discrimine habebo, Et
Est antiquus ager Thusco mihi proximus amni.

Conclusio rationis.

Et quæ sequuntur. Si aptè argumentum ratione concludamus, ut
Sin & Troianis multo cum sanguine uenit
Gloria, sunt illis sua funera, parq; per omnes
Tempestas, cur in decores in limine primo
Deficimus, cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies, uariusq; labor mutabilis ęui
Rettulit in melius, multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Similitudo.
Exemplum.
Distributio.

Si comparemus quæ similia sunt, cuiusmodi plura poetas legenti occurrunt. Si utamur exemplis, ut est, cùm ad ea, quæ Latini exposuerant legati, respondet Diomedes suo cæterorumq; Græcorũ exemplo bellum dissuadens, cum Troianis gerendum, si dispertiamus aliud alij tribuentes, ut
Instant ardentes Tyrij, pars ducere muros,
Molíriq; arcem, & manibus subuoluere saxa,
Pars aptare locum tecto, & concludere sulco,
Iura, magistratusq; legunt, sanctumq; senatum.
Hic portus alij effodiunt; hic alta theatri
Fundamenta locant alij; immanesq; columnas

Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Si præmuniamus antequàm aggrediamur, — *Præmunitio*
Infandum regina tubes renouare dolorem,

Si diuidamus in partes, — *Partitio.*
Huc age qui reges Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio fuerit status, aduena classem
Cùm primum Ausonijs exercitus appulit oris,
Expediam, & primæ reuocabo exordia pugnæ.
Tu uatem, Tu diua mone, dicam horrida bella,
Dicam acies, actosq; animis in funera reges;
Tyrrhenamq; manum, totamq; sub arma coactam
Hesperiam

Si crimen inferamus, ut, — *Intentio.*
Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proijcis? ò Latio caput, horum & causa malorum.

Si culpam in aduersarium conferamus, ut, — *Reiectio in alium.*
Nós ne tibi fluxas Phrygiæ res uertere fundo
Conamur? nos? an miseros qui Troas Achiuis
Obiecit?

Si quid à nobis ipsis purgatione remoueamus, ut — *Purgatio.*
Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo, — *Remotio criminis.*
Italiam Lyciæ iussere capessere sortes.

Et in fine illius orationis,
Nunc etiam interpres Diuũm Ioue missus ab ipso
(Testator utrunque caput) celeres mandata per auras
Detulit, ipse Deum manifesto in lumine uidi
Intrantem muros, uocemq; his auribus hausi.
Desine meq; tuis incendere, teq; querelis.
Italiam non sponte sequor.

Si iure iurando firmemus, ut exemplo superiore, & illo.
Per sidera iuro
Per superos, & si qua fides tellure sub ima est,
Inuitus regina tuo de littore cessi.

Iam nisi amplificet aut diminuat, quis eloquens eris? amplificandi enim uim habet id, quo plusquàm dicas, significes, ut — *Amplificatio.* *Significatio. plus ad intelligendũ, q̃ dixeris.*
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget, non si ipse meus nunc afforet Hector.

Nequaquàm enim temporis iniquitatem exaggeraret, nisi intelligi uelit Hecuba, bello filium cæteris omnibus præstitisse. Et quo supra feras quàm fieri possit, ut — *Superlatio.*
Illa uel intactæ segetis per summa uolaret

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas,
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.

Amplificandi genera cõpluria. Accessio ad summum.

Quę superlatio in his, quæ orationem immutant, haberi solet. Sed amplificandi insuper genera multa sunt. Nam ita augemus, ut gradatim ascendamus ad id, quod est quodammodo supra summum. Quale est,

Quid repetam exustas in littore classes?
Quid tempestatum regem, uentosq; furentes
Aeolia excitos, aut actam nubibus Irim?

Magnum profectò fuit incendio naues deletas esse, quo iter ad Italiam prohiberetur. Maiore deinde periculo uentos excitos ad classem fluctibus obruendam. Iam uerò summo res erat in discrimine, cùm cœleste numen Turnum excitauit, qui iam absente Aenea obsideret Troiana castra, & oppugnaret. At supra hoc esse iusum est, quod sequitur,

Nunc etiam manes (hæc intentata manebat
Sors rerum) mouet, & superis immissa repente
Alecto, medias Italûm baccata per urbeis.

Itaque si illud satis erat, quo maxima Iunoni inuidia pararetur, hoc certè longe maior fieri debebat. Fit & aliter supra summum adiectio, ut

Quo pulchrior alter
Non fuit excepto, Laurentis corpore Turni

Comparatio.

Summum est enim illo neminem fuisse pulchriorem. Huic additur quod supra sit. Iam & comparando petimus incrementum, ut

Palásne exurere classem
Argiûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?

Ratiocinatio Ex consequẽtibus.

Minerua Iuno, filia Iouis coniux, eademq; soror, Deæ regina Deorum, Vnius odio gentis uniuersæ offensio, incendio classis Argiuæ, exitioq; Aiacis, bellum tot annorum cum Troianis frustra susceptum cõparatur. Ratione preterea ducimur ad id, quod uelis amplificari, eũ aliud ex alio colligimus, ut

Hic Priamus, quanquàm in media iam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec uoci, iræq; pepercit,

Ex antecedẽtibus.

Nam quantos & quàm regios Priamo fuisse spiritus, præsertim cùm ille adolescens esset, regniq; opibus floreret, putandum est, cui nec senectute quidem confecto, nec tantum in discrimen adducto animus defuit? Idq; ex consequẽtibus fit, illud autem ex antegressis. Cùm enim Aeolus à Iunone rogatus,

Cauum conuersa cuspide montem
Impulit in latus, ac uenti uelut agmine facto
Qua data porta ruunt.

Apparet quanta sit futura tempestas. Et Aeneas cùm audito nuncio de interitu Pallantis,

Proxima

Proxima quæq; metit gladio, latumq; peragmen
Ardens limitem agit ferro, Te Turne superbum
Cæde noua quærens, Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis, mensæ, quas aduena primus
Tunc adijt, dextręq; dato.

Ex laude euentu, qui uicti sunt.

Planè declarat quantam ille stragem esset editurus. Ad hoc etiam pertinet, cùm Mezentij Turniq; bellicæ laudes extolluntur. Quo maior Aeneæ gloria, qui bello utrunque superauit, emineat. Quid apud Homerum? cùm principes Ilienſium prudentissimi, qui Priamo regi assidebant, ipsiq; ætate prouecti, haud quaquàm indignum putant Græcos, Troianosq; propter Helenæ speciem tamdiu tot mala perferre, quæ nam illa forma ducenda, est? nec uerò instrumentis non declaratur, quanta Heroum, qui illis utebantur extitirit magnitudo. Huc referenda sunt, quæ de Clypeo quidem Aiacis, quæq; de Achillis hasta memorantur. Nec alio spectant illa Virgiliana,

Ex laudatione laudatiui. Ex instrumentis.

Trunca manum pinus regit; & uestigia firmat. Et cùm loricã,
Vix famuli Phegeus, Sagarisq; ferebant.
Multiplicem connixi humeris. Et Cùm
Saxum antiquum, ingens, campo qui forte iacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret aruis.
Vix lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Nisi, ut æstimemus quàm procerò fuit corpore Polyphemus, cui tam ingens arbor ad sese fulciendum opus esset. Quantusq; Demoleus, qui loricam eam indutus cursu palanteis Troas agebat; & quantu ui corporis ille, qui sa-
Manu raptum trepida torquebat in hostem (xum hoc.
Altior insurgens, & cursu concitus Heros,

Exaggeratio ex congerie uerborũ & sententiarum.

Quin & congerie quadam uerborum, ac sententiarum exaggeramus.

Ascanio ne pater Romanas inuidet arces?
Quid struit? aut qua spe inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lauinia respicit arua? Et
Spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ, Decus, imperiumq; Latini
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.

Ex insurgentibus altius uerbis. Extenuatio.

Fit etiam amplificatio surgentibus altius, atque altius uerbis; ut,

Monstrum horrendum, informe, ingens.

Totidem ferè modis extenuamus. Itaque uno, atque altero erimus exemplo contenti eiusdem loci,

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?

Id si ad fidem, si ad clementiam referas, minutio profectò est, sin ad perfidiam, animiq; sæuiciam, incrementum. Sequitur deinde,

Quid si non arua aliena, domosq;
Ignotas peteres; & Troia antiqua maneret?
Troia per undosum peteretur nauibus æquor?

Quod ita extenuat abeundi rationem, ut propositi inhumanitatem amplificat, sed dubitandum non est quin à maioribus descendatur. Quem enim nec amor, nec data dextera quondam, nec moritura tenet crudeli funere Dido, quid est, quod remorari queat? & cui ne Troia quidem per undosum petenda erat classibus æquor, quanto minus ad arua aliena, domosq; ignotas tam immoderata, ac turbida tempestate eundem erat? Iam uerò plurimùm delectat, qui multa coaceruat, ut, Coaceruatio.

Tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis;

Et quæ sequuntur, Et

Pauca tamen suberunt priscæ uestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos, Cõmoratio.

Et cætera. Qui in eadem hæret, commoraturq; sententia, ut Æneas ille Virgilianus Elisæ gratias agens,

O' sola infandos Troiæ miserata labores.

Nam & opes diminuit suas ad gratiam referendam; & Deos orat, ut par illi pro tantis in se meritis reddant; & felicitatem ætatis, qua ipsa orta esset, ac parentes, qui eam genuissent, admiratur; eidemq; æternos fore honores pollicetur. Qui eandem rem multis uersat modis, ut est in Culice, ubi bona pastoris exponuntur, ubi idem ille animans inducitur in somnijs alloquens pastorem, cuius manu per imprudentiam fuerat contritus. Et in Georgicis cùm ad Italiæ laudes fit declinatio. Qui idẽ propemodũ non eadẽ repetit forma, ut, Frequẽtatio. Expolitio.

Primus ego in patriam, mecum (modò uita supersit)
Aonio rediens deducam uertice musas,
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Quid ad motus in animo ciendos? an non, si concitatiores illi futuri sint, sic dicet poeta, ut liberius quid audeat? Quemadmodum orationem Drances in Turnum habuit, ut irascatur, cuiusmodi est, Vox liberæ. Iracundia.

Mene incœpto desistere uictam?
Nec posse Italia Teucrorum auertere regem? Et
Pro Iuppiter ibit
Hic, ait, & nostris illuserit aduena regnis?

Ut etiam indignetur, Indignatio.

Heu stirpem inuisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum, num Sigæis occumbere campis
Num capti potuere capi? Ut minetur, Minatio.
Omnibus umbra locis adero, dabis improbe pœnas. Et

Post mihi non simili pœna commissa luetis.

Ut execretur, Execratio.

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis
Dij, si qua est cœlo pietas, quæ talia curet,
Persoluant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere letum
Fecisti; & patrios fœdasti funere uultus.

Ut uoueat, Voti spõsio.

Dextra mihi Deus; & telum, quod missile libro,
Nunc adsint? uoueo prædonis corpore raptis
Indutum spolijs ipsum te Lause trophæum Æneę

Ut optet, ἐυχωΛοΓ.

O' mihi præteritos referat si Iuppiter annos. Et
Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiscat,
Idq; interdum non sine precatione,
Sin aliquem infandum casum fortuna minaris;
Nunc, nunc ò liceat crudelem abrumpere uitam.

Et hæc quoque optatio est,

O' Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?

Cùm queritur Æneas se à Diomede, quo cum pugnauit, interfectum non esse. Ut obsecret, Obsecratio.

Parce pias scelerare manus. Et
Quod te per superos, & conscia numina ueri,
Per siqua est, quæ restat ad huc mortalibus usquam,
Intemerata fides, oro, miserere laborum.

Ut supplicet summa aliquando cum miseratione, atque imploret. Obtestatio.

Per euersæ genitor fumantia Troiæ
Excidia obtestor. Et *Per sidera testor,*
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen,
Tollite me Teucri; quascunque abducite terras.

Ut deprecetur, Deprecatio.

Per te, per qui te talem genuere parentes
Vir Troiane, sine hanc animam, & miserere precantis. Et
Oramus, prohibe infandos à nauibus ignes.

Ut obiurget aliquando, & increpet, Obiurgatio.

Quo moriture ruis? maioraq; uiribus audes? Et
Quæ mens tam dira miserrime coniux
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit. Reprehensio sui ipsius.

Ut sese reprehendat,

Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?
Et quod multum habet commiserationis,
Tantáne me tenuit uiuendi nate uoluptas,
Vt pro me hostili paterer succedere dextræ,
Impulso. *Quem genui? Vti impellat,*
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum. Et
Iussum. *Sed fugite ò miseri, fugite. Vt imperet.*
Non arma expedient, totaq; ex urbe sequentur,
Diripientq; rates alij naualibus? ite,
Admiratio. *Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.* Vt admiretur,
Veráne te facies, uerus mihi nuncius affers
Nate Dea? uiuis ne?
Exclamatio. *Vt exclamet, O quæ satis ima debiscat*
Terra mihi, manesq; Deam demittat ad imos? Et
Aut que iam satis ima debiscat
Terra mihi? uos ò potius miserescite uenti,
In rupes, in saxa, uolens uos Turnus adoro,
Ferte ratem; sæuisq; uadis immittite Syrtis.
Acclamatio. *Vt acclamet, Mactè noua uirtute puer.* Et
Omnia uincit Amor. Et
Tantæ molis erat Romanam condere gentem
Conquestio. *Vt conqueratur,*
Omnipotens genitor tantón me crimine dignum
Duxisti? & tales uoluisti expendere pœnas. Et
Dissimulare etiam sperasti perfide tantum
Posse nefas? tacitusq; mea decedere terra?
Deliberatio. *Vt secum deliberans quid agat in contrarias parteis distrahatur.*
En quid agam? rursúsne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumq; petam connubia supplex.
Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
Exaggeratio per comparationem. *Vt comparando quid exaggeret,*
O felix una ante alias Priameia uirgo
Hostilem ad tumulum Troiæ sub mœnibus altis Iussa mori.
Summissio. *Vt aduersario se ipsum submittat ad impotentiam illa exprobrandam,*
En supplex uenio, miserere tuorum. Dixerat enim,
Ipsum obtestemur, ueniamq; oremus ab ipso.
Cõmendatio. *Sin autem mitiores affectus mouendi sint, in commendando posita erunt, quæ dicemus, ut*
Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis. In promittendo,
Promissio. *Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,*

Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo.
In conciliando, Conciliatio.
O fama ingens, ingentior armis
Vir Troiane, quibus cœlo te laudibus æquem?
In excusando, ut supra exemplis ostensum est.
In condonando, Excusatio. Remissio.
Arma, quibus lætatus, habe tua, teq; parentum
Manibus, & cineri (siqua est ea cura) remitto.
In concedendo quod petitur, Concessio.
Dabitur Troiane quod optas.
In offerendo, Oblatum.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
Vrbem quam statuo, uestra est.
Vbi Dido, cùm præterea liberalem in modum quod optatur, cõcedat, excusset Pœnos, in quo accusantur, Troianos commendet, mirificam sui beneuolentiam excitat. Quid ignoscendo? quantum caritatis præferturs? ut,
Nunc ite, & miseris supponite ciuibus ignem. Venia.
Idq; augetur, cùm ostendimus causam, cur ueniam petant, nobis displicere.
Pacém ue exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & uiuis concedere uellem.
Iam audiẽtibus periucundum est & amabile, si quid acceptũ referamus, Accepti relatio.
Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra, Iouemq;
Concilias.
Si ad parendum prompti uideamur, Obtẽperatio.
Tuus ò regina, quid optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est. Et
Absiste precando
Viribus indubitare tuis.
Si moneamus, ut, cùm Latinus admonet Turnum, qui cedat, sinatq; promissam cum Troianis societatem iniri. Ac Admonitio.
Respice, inquit, res bello uarias, miserere parentis
Longæui, quem nunc mœstum Patria Ardea longè
Diuidit. Et
Coeant in fœdera dextræ,
Qua datur, ast armis concurrant arma; cauete.
Si blandiamur, Blandiitiæ.
Nerine Galateæ thymo mihi dulcior hyblæ,
Candidior cycnis, edera formosior alba.
Si gratias agamus, Gratiarum actio.
O Decus Italiæ uirgo, quas dicere grates,

Q uásue referre parem?

Extenuatio facultatis suæ. Si facultatem extenuemus nostram,
Non mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea uox, omnes scelerum comprehendere formas,
Patientia. Omnia pœnarum percurrere nomina possem.
Si perferamus,
Si uisurus eum uiuo, & uenturus in unum
Vitam oro, patiar quemuis durare laborem. Et
Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso.
Si mitigemus,
Mitigatio. At non Euandre pudendis
Vulneribus pulsum aspicies.
Pietas. Humanitas. Clementia. Si quod pium est, quod humanum, quod animi elementis, quod denique quemuis in modum ad beneuole affectum, miteq; ingenium refertur, significemus. Q uantum enim pietatis id præsefert?
Ergo age care pater ceruici imponere nostræ.
Et quales illæ cum lachrymis fusæ preces?
Nos contrà effusi lachrymis, coniuxq; Creusa,
Ascaniusq; omnis domus, ne uertere secum
Cuncta pater, fatoq; urgenti incumbere uellet.
Q uanq; uehementius rapere animum uidentur, ut ea, quæ sequuntur,
Rursus in arma feror, Martemq; miserrimus opto. Et
Ecce autem complexa pedes in limine coniux
Hærebat, paruumq; patri tendebat Iulum.
Et quod est alio loco,
Stat conferre manum Aeneæ, stat, quicquid acerbi est,
Morte pati.
Agnoscendi. Iam ad hanc leniorem naturam attinet ueniam petere, ut,
Rogatio. Parceret hospitibus quondam, socerisq; uocatis.
Orare, præsertim cùm attenuata sint quæ rogamus, ut,
Dijs sedem exiguam, littusq; rogamus
Innocuum, & cunctis undamq; auramq; patentem. Et
Liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Indulgẽtia. Hilaritas. Risus. Quæ tamen extenuatio odium quoq; in aduersarium excitet. Errores adolescentiæ defendere, ut facit Mitio Terentianus. In hilaritatem, risúmue cõuertere, in quo tota ferè comœdia uersatur, & cuiusmodi quoque sunt cùm Virgiliana conuiuia, tum Homerica, præsertim cùm inducitur Vulcanus, qui Dijs pocula ministret. Sunt & aliæ seu figuræ dicendi, seu uirtutes, quibus utrumque hoc genus tractatur. Nam & illustramus, & ante oculos ponimus, imagines q; rerum planè representamus, cùm res ipsas, uoces, actiones,

animi habitum, oris figuras effingimus. At propriè, priuatimq; sententiæ dicitur conformatio, quæ à simplici, apertaq; dicendi ratione remouetur. Q uid enim tam simplex, tamq; commune est, quàm rogare aut percontari? ut, *Quæ propriè sententiæ sit conformatio.*
Q uid petitis? quæ causa rates, aut cuius egentes
Littus ad Ausonium tot per uada cærula uexit? *Interrogatio quibus modis conformetur.*
Conformatur autem, ut maiorem uim habeat, cùm id assumitur non scisciscandi causa, sed uel instandi, ut, *Instando.*
Nunquàm ne leuari Obsidione sines? Et
Q uid miseros toties in aperta pericula ciues Proijcis.
Vel & instandi, & auferendæ dissimulationis. *Instando, & dissimulationem auferrẽdo.*
Q uid cessas? an tibi Mauors
Ventosa in lingua, pedibusq; fugacibus istis
Semper erit. Vel admirandi, *Admirãdo.*
Improbe Amor quid non mortalia pectora cogis?
Vel reprehendendi, *Reprehendẽdo.*
Tantá ne uos generis tenuit fiducia uestri? Et
Non pudet ò Rutuli cunctis pro talibus unam
Obiectare animam?
Vel conquirendi, *Conquerẽdo.*
Q uid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus?
Q uid illud? nonne indignationis est? *Indignationis causa.*
Non potui abreptum diuellere corpus, & undis
Spargere? Vt hoc miserationis, *Miserationis.*
Hei mihi quid tanto turbantur mœnia luctu?
Nonnunq; ut faciamus inuidiam interrogamus, ut apud Senecam Medea, *Inuidiæ faciendæ.*
Q uas peti terras iubes?
Ac multam sinè uarietatem hoc genus complectitur. Nam & nosmet ipsi rogamus, cuiusmodi est, quod suprà iam produxi, *Interrogandi varia genera.*
En quid agam?
Et sæpe id percontamur, quod liquet,
Tu ne ille senectæ
Sera meæ requies potuisti linquere solam
Crudelis?
Habet autem plerunque & miserationis plurimum, ut hoc ipsum, & indignationis, ut amplificatio illa non multo superius prolata,
Pallás ne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto?
Et admirationis, ut,
Q uis te Nate Dea per tanta pericula casus
Insequitur?

Respondendi figura. Est etiam aliqua, quod Fabius docet, in respondendo figura, cùm declinando interroganti occurrimus. Dicenti enim,

Non ego te uidi Damonis pessime caprum
Excipere insidijs?

Respondetur,

An mihi cantando uictus non redderet ille?

Vt factum defendamus anteq̃ planè confiteamur, aut crimine inferendo.

Tum credo, cùm me arbustum uidere Myconis, (Quale est,
Atque mala uites incidere falce nouellas?

Qua de re multa disseruit Grauina, cùm ridiculà tractaret. Nec uerò fit inuucundè, ut ad interrogata sibi ipsi quisquàm respondeat,

Nomadumq; petam connubia supplex,
Quos ego sum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque ultima Teucrûm
Iussa sequar? quia ne auxilio iuuat ante leuatos;
Et bene apud memores ueteris stat gratia facti?

Diluendo obiecta. Aut quod obiecerit, diluat

Quis me (fac uelle) sinet? ratibusq; superbis
Irrisam accipiet? Et
Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna; fuisset,
Quem metui moritura?

Subiectio. Obijcimus interdum nos ipsi, quod is, qui cum loquimur, posset obijcere, atque statim subijcimus, ac distributè, ut Anus illa Ouidiana,

Seu furor est; habeo quod carmine sanet, & herbis,
Siue aliquis nocuit; magico lustrabere ritu,
Ira Deûm siue est; sacris placabimus iram.

Præmunitio. In ante occupando. Iam & a te occupamus quod obijci posset, siue p̃muniamus id, quod aggredimur,

Nec uos arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras. Et
Néue hæc nostris spectentur ab annis Quæ ferimus.

Quod item sit interpositis aliquando quibusdam uerbis,

Ne temne, quod ultro
Præferimus manibus uittas, ac uerba precantum.

Confessio. Siue fateamur,

Cuncta equidem tibi Rex, fuerint quæcunque fatebor
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo. Et

Præparatio. Eripui (fateor) letho me, & uincula rupi.

Siue præparemus exponendo quare quid fecerimus,

Non equidem extimui Danaûm quod ductor, & Arcas;
Quod à stirpe fores gemmis coniunctus Atridis,

Sed

Sed mea me uirtus, & sancta oracula Diuûm,
Cognatiq; patres, tua terris dicta fama
Coniunxere tibi, & fatis egere uolentem.

Hoc etiam in genus conijcitur, cùm prædicimus. Prædictio.

Fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius & uoluens fatorum arcana mouebo. Et
Vnum illud tibi Nate Dea, præq; omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumq; iterumq; monebo.

Cùm id quod dicitur, corrigimus, Emendatio.

Si credere dignum est. Et Si uera est fama. Et
Si parua licet componere magnis.

Aut uerbi cuiusdam correctione rem mitigamus, ut est apud Ouidium, Correctio.

Sceleriq; resistite nostro; Si tamen hoc scelus est,

Cùm dubitamus, Eloquar, an sileam? Et Dubitatio.

Quid loquar, aut Scyllam nisi? Et
Nam quid agò? aut quæ iam spondet fortuna salutem?

Eiusdem ferè modi est, & communicatio, quasi cum aliquo deliberemus,

Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam, Communicatio
Depulsos à lacte domi, quæ clauderet agnos,
Et certamen erat, Corydon cùm Tyrside, magnum. Et
Quid faciat? qua ui iuuenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medius moriturus in hostes
Inferat, & pulchram properet per uulnera mortem? Et
Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia sumat?

Est etiam quod permittas, aut cum quid exprobrare uelis,

I nunc, ingratis offer te irrise periclis, Permissio.
Tyrrhenas i sterne acies, tege pace Latinos.

Aut cùm irridendo insultes,

I, uerbis uirtutem illude superbis,
Bis capti Phryges hæc Rutulo responsa remittunt.

Aut cùm mox id inferas, quo diluas obiecta,

Italiam petijt fatis authoribus, esto,
Cassandræ impulsus furiis, num linquere castra
Hortati sumus, aut uitam committere uentis. Et
Esto, ægram nulli quondam flexere mariti,
Non Lybiæ, non ante Tyro; despectus Iarbas,
Ductoresq; alij, quos Aphrica terra triumphis
Diues alit; Placidóne etiam pugnabis amori?

Est & quod concedas magna cum animi ægrimonia,

Vicisti, & uictum tendere palmas Concessio.

Ausonij uidere, tua est Lauinia coniux. Et
Habes tota quod mente petisti,
Ardet amans Dido; traxitq; per oßa furorem.

Cõformatio. *Age uerò quàm sæpe eloquentia, quæ muta sunt, inducuntur, ut Achillis equus ab Homero, Polydori cinis à Marone, amnes ab utroq; formaq; induũtur expertia figuræ, ut famã Virgilius finxit, mortem, uitamq;, Ennius, famem, inuidiamq; Ouidius, opulentiam & paupertatem Aristophanes. Omitto, ut hominum sermones, ut mores, ut affectus, ut uultus exprimantur. Hæc enim ferè sunt, in quibus tota uersatur poesis, atque his quidem disputationibus conati sumus, ut quemadmodum ea describantur, doceamus, sed tamen*

Sermocinatio. *priuatim id erit eiusmodi,*
Venit & upilio, tardi uenere bubulci,
Vuidus hyberna uenit de glande Menalcas,
Omnes, unde amor iste, rogant, tibi uenit Apollo;
Galle, quid insanis, inquit, tua cura Lycoris
Perq; niues alium, perq; horrida castra secuta est.

Et quæ sequuntur. Et

Imago. Effectio. *O' mihi sola mei super Astyanactis imago,*
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat. Et
Restitit Aeneas, claraq; in luce refulsit. Et
Tandem progreditur magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex humero; crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula uestem.

Ac præter illa, quæ in fabula sunt, ad fictas quoque sermonum, personarumq; inductiones referuntur colloquia, congressusq; Deorum, Iouis cum ercurio, cùm Hercule, cum Iunone. Iunonis cum Aeolo, cum Iuturna, cum Venere. Veneris cum ipso Ioue, cum Aenea, cum Vulcano. Eodemq; pertinet, cum Venus illa ipsa,
Virginis os, habitumq; gerit, & uirginis armæ
Spartanæ. Cùm Iris,
Fit Beroe Ismarij coniux longæua Doricli.

Cùm Iuturna,
Formam assimulata Camerti
In medias dat sese acies. Cùm Harpya,
Prodigium canit, & tristes denunciat iras.

Incertæ personæ ficta oratio. *Cùm Hector, cum Anchises, cùm Dij penates secundum quietem uisi sunt cerni, & Aeneam affari. Est & incertæ, aut potius sine nomine personæ ficta oratio, ut est apud Ouidium,*
Adijciunt animos iuueni clamorq; fauorq;,
Verbaq; dicentum, nunc, nunc incumbere tempus

Hippomene, propera, nunc uiribus utere totis.

Notatur autem illud Virgilianum,
Hic Dolopum manus, hic sæuus tendebat Achilles.

Veluti iactus sine persona sermo. Mutatur interdũ, quod fictæ erat personæ, in formam narrandi, quam obliquam uocant allocutionem, ut, Sermo sine persona.
Corpora, per campos ferro quæ fusa iacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terræ, Allocutio obliqua.
Nullum cum uictis certamen, & æthere cassis,
Parceret hospitibus quondam, socerisq; uocatis.

Iam uerò auertimus orationem, siue aduersarium inuadimus Auersio. Inuadendo.
Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proijcis? Siue execramur, Execrando.
Dij talem terris auertite pestem. Siue imploramus, Implorando.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras. Et
Vos ò potius miserescite uenti.

Quæ imploratio tum miseranda est, cum hostes obtestamur, Obtestando.
Figite me, siqua est pietas, in me omnia tela
Conijcite ò Rutuli, me primam absumite ferro.

Fit quoque id ipsum exclamando, Exclamãdo.
O' patria, ò Diuum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum. Et
O' patria, ò rapti nequicquàm ex hoste Penates,
Nullá ne iam Troiæ dicentur mœnia?

Et ante occupando per testationem, Ante occupãdo.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor in occasu uestro, nec tela, nec ullas
Vitauisse uices Danaũm.

Poeta ipse cũ suã tenens personã narrat, nonnunq; cõuertit ad inuocandũ, Inuocando.
Dij quibus imperium est. Et
Quis mihi nunc Deus tot acerba. Et
Quis Deus ò Musæ.

Quid cùm à proposito audientis cogitationem abducimus? Quod fit, cum aut expectasse nos aliud significamus, Abducẽdo à proposito.
Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui, classém ue ad Pergama misi.

Aut maius aliquid timuisse simulamus,
Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid iam misero mihi denique restat?

Reperiuntur etiam aliæ sermonis auertendi figuræ. At uerò sub aspectum subijcimus, cùm rem ipsam, quemadmodum gesta sit, & quidem ita partiuè, atque distinctè ostendimus, ut eius forma uerbis expressa cerni po- Subiectio sub aspectũ.

tius uideatur, quàm audiri,
It clamor totis per propugnaculo muris
Intendunt acreis arcus, amentaq; torquent,
Sternitur omne solum telis, tum scuta, cauæq;
Dant sonitum flictu galeæ, pugna aspera surgit. Et
Equum in medios moriturus & ipse
Concitat, & Venulo aduersum se turbidus infert
Direptumq; ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa ui concitus aufert.

Cõparatione. Et quæ sequuntur, quoque res euidentior sit, utrobique comparatione ante oculos ponitur; ut sæpe alias sine comparatione. Quale est,

Sine comparatione. At trepida, & cœptis immanibus effera Dido
Sanguineam uoluens aciem, maculisq; trementes
Interfusa genas, & pallida morte futura
Interiora domus irrumpit limina; & altos
Conscendit furibunda rogos; ensemq; recludit
Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.

Et cætera. Nec tantũ quæ facta sint, quæue fiant, uerumetiã futura quæ

Temporum translatione. sunt, aut fuerunt, cernenda proponimus non sine temporum translatione,
Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, uictorq; uiros supereminet omnes. Et
In medio classes æratas Actia bella
Cernere erat, totumq; instructo Marte uideres
Feruere Leucaten, auroq; effulgere fluctus.

Descriptio locorum. Et quæ sequuntur. Ac reliqua ferè omnia, quæ inscripta in Clypeo, descri

buntur. Hac eadẽ uirtute euidẽs, et perspicua locorũ descriptio cõtinetur, ut,
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum syluis, & relligione parentum.

Notatio, siue imitatio morum. Et quę consequuntur. Huic generi proximum est, cùm mores, uitamq; cuiusq; imitamur, quod tum in factis, ut planissimè docuit, cùm ridicula tractauit, Grauina, tum in dictis uersatur. Quomodo autem dicta effingantur, documento erunt illa Terentiana,
At ego nesciebam quorsum ires. Paruula
Hinc est abrepta, eduxit mater pro sua,
Soror est dicta, cupio abducere, ut reddam suis.
Et hęc Virgiliana, Nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab alto
Interpres Diuũm fert horrida iussa per auras.

Est enim hæc forma dicendi posita ferè in eludendo. Illud porrò iucundum est, atque ad commendationem plurimũ ualet, quod simplici quadã, non ante

elaborata oratione ostendere uidemur, quasi nos dictorum pœniteat, Quasi pœnitentia dictorum.
Sed quid ego hæc autem nequicquàm ingrata reuoluo? Et
Quid ultra
Prouehor? & fando surgentes demoror austros?

Quid cùm secus ac dicitur intelligendum est? an non genus hoc multas Dissimulatio Negando.
continet formas? Nam & negando dissimulamus.
Quid bella Tyro surgentia dicam,
Germaniq; minas? Et
Quid memorem infandas cædes; quid facta Tyranni? Et
Mitto ea, quæ muris bellando exhausta sub altis,
Quos Simois premit ipse uiros.

Et permittentibus similes uidemur, cùm ea, quæ nolumus, aduersariis Permittẽdo.
concedimus,
I sequere Italiam uentis, pete regna per undas. Et
Proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu.

Quod acrius sit, si quo nos crimine accusandos, quod in aduersarium conferri potest, permittimus.
Meq; timoris Argue tu Drance,

Præsertim cùm ea sequantur, quæ in nobis sunt, in illo non sunt,
Quando tot stragis acerbos
Teucrorum tua dextra dedit.

Idemq; ut ait Fabius, contra ualet, cùm aut ea, quæ nobis absunt, aut etiam quæ in aduersarium recidunt, quasi fateamur,
Me duce Dardanius Spartam expugnauit adulter.

Et tanq̃ quod molestum nobis est, nec deprecemur ab eo, quem diligimus.
Æneas sanè ignotis iactetur in undis.

Nec quin aduersario, quod ille optat, obueniat, recusemus,
Scilicet ut Turno contingat regia coniux.
Nos animæ uiles, inhumata, infletaq; turba
Sternamur campis.

Aut contrà, quod probamus, quasi detestemur,
Indignum est Italos Troiam circundare flammis
Nascentem, & patria Turnum consistere terra.

Nec modò in personis, uerùm etiam in rebus hæc ratio, contra quam di- Eleuãdi causa.
camus, intelligendi, uersatur, ut eleuandi causa,
Scilicet is superis labor est.

Aut dissimulandi, Dissimulãdi
Nil super imperio moueor, sperauimus ista
Dum fortuna fuit, uincant, quos uincere mauis.

Iam reticendo significamus aliquid affectus, uel optationis, Reticientia ad affectum significãdũ.

Non iam prima peto Mneſtheus, neque uincere certo,
(Quanquàm ò) Sed ſuperent, quibus hoc Neptune dediſti.

Vel indignationis,

Quos ego, Sed motos præſtat componere fluctus.

Præciſio, Reticentiæ ſimilis quodammodo eſt præciſio, tanquàm præciſa ante legitimum finem oratio, qualis illa Virgiliana eſt,

Quid moror? irrumpunt thalamo.

Et hæc Ouidiana,

Né ue meus ſermo curſu ſit tardior ipſo,
Præterita eſt Virgo.

Significatio. Iam ſignificatio nonnunquàm erit maior, quàm oratio, ut,

Et ipſe doli fabricator Epeus. Et
Pollio & ipſe facit noua carmina. Et
Deus, Deus ille Menalca. Et
Curæ non ipſa in morte relinquunt. Et
Non ipſi excindere ferro Cælicolæ ualeant.

Quid illud? nonne plus intelligendum, quàm dicatur, ſignificat?

Non licuit thalami expertem ſine crimine uitam
Degere more feræ?

Adeo ſe perturbatam oſtendit Dido, ut expertem coniugij uitam non eſſe hominum, ſed ferarum arbitretur. Et

Demiſſum lapſi per funem.

Nonne ſic quoq; altitudinē demonſtrat? Hoc itē genere cōprehendiū eſt, cùm Myrrha Ouidiana ita ſeſe patris amore flagrare confitetur,

Omnatio. O dixit, felicem coniuge matrem.

Nec uerò huc pertinere non putant, ſi ominemur, ut,

Ingredere ò Teucrûm atque Italûm fortiſsime ductor. Et
Aſpice corripuit tremulis altaria flammis.
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe, bonum ſit.

Augurium. Oſtentum. Si deſcribamus uel augurium, uel oſtentum, uel monſtrum, ut

Ecce leuis ſummo de uertice uiſus Iuli
Fundere lumen apex. Et
Intonuit læuum, & de cœlo lapſa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit, Et
Nanque uolans liquidis in nubibus arſit arundo. Et
Nanque uolans rubra fulius Iouis ales in æthra
Littoreas agitabat aues.

Irriſio. Si quem irrideamus.

Tenet ille immania ſaxa
Veſtras Eure domos, illa ſe iactet in aula,

Simulatio. Si quid ſimulemus, ut

Olli ſubridens ſedato pectore Turnus.

Cùm ille ſe ridere ſimularet. Si quid clàm innuamus, quod eſſe uolunt alludentis, ut, Alluſio.

Ante urbem pueri, & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitant q; in puluere currus.

Cùm ad illam alluderet exercitationem poeta, in qua Romæ miles tyro uerſabatur. Et

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis.

Videtur enim domum illam effinxiſſe, quam plenam dignitatis, & præclarā ædificauit in Palatio Cæſar Auguſtus. Si quid ex hiſtoria præoccupemus. Ex hiſtoria Præoccupatum.

Portusq; require Velinos.

Si confutemus, Confutatio.

Non dabitur regn is (eſto) prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lauinia coniux.
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus.

Sunt qui ad exornandas quoque ſententias ſpectare uelint, cùm contraria referuntur, cuiuſmodi eſt, Relatio contrariorum.

Hic uertex nobis ſemper ſublimis, at illum
Sub pedibus ſtix atra uidet, maneſq; profundi. Et
Sunt Thaſiæ uites, ſunt & Mareotides albę,
Pinguibus hæ terris habiles; lenioribus illæ. Et
Viuite felices, quibus eſt fortuna peracta
Iam ſua, nos alia ex alijs in fata uocamur,
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum. Et
Ille quidem ad ſuperos, quorum ſe deuouet aris,
Succedit fama, uiuusq; per ora feretur,
Nos patria amiſſa dominis parere ſuperbis Cogimur.

His ferè ſententiarum luminibus carmen illuſtratur. Atque hoc loco Syncerus cùm paululum ſubſtitiſſet, tum Summontius expectabam, inquit, ut aliquando planè declarares, quod te animaduertiſſe iampridem perſpexi, eiſdem propemodum è locis ornamenta orationis aſſumenda, ex quibus argumenta promuntur. Quod me quidem admones, inquit ille, memoria retinebam. Sed non antè tractandum id eſſe arbitrabar, quàm quibus uerborum exornationibus poetæ utantur, oſtendiſſem. Vbi uis, inquit Summontius, modò pertractetur. Ego uerò quod ad memoriam huius rei te excitaui, uideor mihi profectò nihil perdidiſſe. At enim, inquit ille, ut quo ire cœperat, pergat hæc rerum explicatio, quibus poetica locutio conformatur, multa ſunt, quę & ad uim, & ad uenuſtatem orationem ipſam exornant. Nam geminantur uerba uel amplificandi cauſa, ut, De uerborū figuris. Geminatio,

Et longum formoſe uale, uale inquit, Iola.
Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Sed fugite ò miseri, fugite.
Vel miserandi,
Ah Corydon, Corydon.
Vel etiam uehementius hortandi,
Nunc, nunc insurgite remis
Quid hæc?
Deus, deus ille, Menalca. *Et*
Hic uir, hic est, quem promitti sæpius audis.

An non excitant auditorem ad intelligendum plusquàm dicatur? Nec parum significationis fit ex illa iteratione Ouidiana,

Iteratio.

Nec me lachrymæ, luctusq; timorq;
Tardarunt, quin corpus humo sublime referrem
His humeris, his inquàm humeris ego corpus Achillis,
Et simul arma tuli.
Qualis est etiam hæc nostra,
Quas ipse manus, quæue ora notaui
His oculis? his inquàm oculis quæ funera uidi?

Iteratur aliquando uerbum, quasi corrigamus, quod dictum est, ut apud nos, & quidem miserationis causa,

At mater, non iam mater.

Ac nunquam ferè fit iteratio, quæ cum lepore uim coniunctam non habeat. Repetitur & acriter à primo idem uerbum,

Repetitio.

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas uictus dedit?
Et in extremum conijcitur id, à quo sumptum initium fuerat,
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. *Et*
Vltro animos tollit dictis, atque increpat ultro. *Et*
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.
Aut hunc in modum conuertitur,
Nós ne tibi fluxas Phrygiæ res uertere fundo
Conamur, nos?
Sunt quæ in idem pariter desinant,
Similis si cura fuisset,
Et quorum eadem media sint, atque prima,
Te nemus Angitiæ, uitrea te fucinus unda,
Te liquidi fleuere lacus.
Aut contrà,
In freta dum fluuij current; dum montibus umbræ
Lustrabunt; conuexa polus dum sidera pascet.
Idem quoque in medio repetitur,
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso

Effigiem

Effigiem statuere.
Est cùm iterentur semel proposita, & diuidantur,
Nisus & Euryalus primi,
Eurialus forma insignis, uiridiq; iuuenta,
Nisus amore pio pueri. *Et*
Iphytus & Pelias mecum; quorum Iphytus æuo
Iam grauior Pelias, & uulnere tardus Vlyssi.
Repetuntur à primo plura uerba, quibusdam alijs interiectis,
Huc pater ò Lenæe (tuis hic omnia plena
Muneribus, tibi pampineo grauidus autumno)
Huc pater ò Lenæe ueni.
Repetitur & eadem continuo sententia uerbis propemodum eisdem,
Daphnimq; tuum tollemus ad astra
Daphnin ad astra feremus.
Iam sæpe ab eodẽ uerbo sequẽs ducitur uersus, quo antegrediẽs clauditur.
Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, & uersicoloribus armis. *Et*
Deiphobum uidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq; ambas.
Interdum postremum prioris statim à subsequentis primo ponitur,
At Maiam (si quicquam credimus) Atlas
Idem Atlas generat,
Interdum utrique principium idem est,
Atlantis duri, cœlum qui uertice fulcit,
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput & uento pulsatur, & imbri.
Primum quoque antecedentis, atque postremum continenter in posterioris initium conijcitur.
Cantantes licet usque minus uia lædet, eamus
Cantantes ut eamus ego hoc te fasce leuabo.
Eædẽ repetẽdi rõnes aptantur interse perbellè nõnunq;, & duplicãtur, ut,
Compulerant greges Corydon & Thyrsis in unum,
Thyrsis oues, Corydon distinctas lacte capellas,
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. *Et*
Certè hinc Romanos olim uoluentibus annis
Hinc fore ductores reuocato à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent. *Et*
Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ. *Et*
Quem secum patrios aiunt portare penates
Quem subijsse humeris confectum ætate parentem?
Non potui abreptum diuellere corpus, & undis

Spargere? non ſocios? non ipſum abſumere ferro
Ecce Dionei proceſſit Cæſaris aſtrum,
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uua colorem. *Et*
Orytygium Cæneus, uictorem Cænea Turnus, *Turnus Ityn?* *Et*
Me patris Anchiſæ quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt;
Admonet in ſomnijs; & turbida terret imago;
Me puer Aſcanius, capitisq; iniuria cari. *Et*
Vnum illud tibi nate Dea, præq; omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumq;, iterumq; monebo,
Iunonis magnæ primum prece numen adora,
Iunoni cane uota libens.

Quàm pulchrè illa eiuſdem uerbi repetitio uariatur,
Humilemq; uidemus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.

Admiſcentur his aliæ figuræ, ut diſtributio,
Hunc decus egregium formæ mouet, atque iuuentæ,
Hunc Atani reges, hunc claris dextera factis. *Et*
Nunc quibus Auroræ uenißet filius armis;
Nunc quales Diomedis equi; Nunc quantus Achilles.

Vt diuiſio,
Treis imbris torti radios, treis nubis aquoſæ
Addiderant, rutili treis ignis, & alitis auſtri. *Vt cõparatio,*
Tu uires ſine mente geris; mihi cura futuri,
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides, tu tantum corpore prodes, *Nos animo.*

Quod etiam alibi exempli cauſa produximus. Vt relatio,
Qua ſe cunque furens medio tulit agmine uirgo;
Hac Aruns ſubit, & tacitus ueſtigia luſtrat,
Qua uictrix redit illa, pedemq; ex hoſte reportat;
Hac iuuenis furtim celeres detorquet habenas.

Mutatio caſus. *His etiam exemplis nullam orationis ferè partem non repetitam competies. In qua repetitione caſus interdum mutantur, ut*
Ab Ioue principium generis, Ioue Dardana pubes
Gaudet auo. rex ipſe Iouis de gente ſuprema. *Et*
Ingentemq; Gias ingenti mole Chimeram. *Et*
Hunc cape conſilijs ſocium, & coniunge uolentem,
Huic trade, amiſſis ſuperant qui naubus. *Et*
Littora littoribus. *Et*
Hæret pede pes; denſoq; uiro uir.

Mutatio generis.

Mutatur genus,
At Cytherea nouas artes, noua pectore uerſat *Conſilia.* *Et*
Multaq; per cæcam congreßi prælia noctem
Conſerimus, multos Danaũm demittimus Orco. *Et*
Hic amor, hæc patria eſt, *Mutatur numerus,*

Mutatio numeri.

Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt,
Apparent Priami, & ueterum penetralia regum.
Fit interdum utriuſque mutatio,
Hic tibi certa domus, certi (ne abſiſte) penates.

Mutatio partiũ orationis.

Ipſæ quoque orationis partes interſe permutantur, ut,
Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet? *Et*
Huc geminas nunc flecte acies, hanc aſpice gentem. *Et*
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Mutatio modi.

Sed hic etiam uerbi modus mutatur. Interiicitur item crebrò, ut repetitur idem uerſus, quod genus intercalarium uocant, ut eſt in Pharmaceutria.
Incipe Mænalios mecum mea tibia uerſus. *Et*
Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnin,

Coacerratio idem ſignificantium.

Congeruntur idem ſignificantia, ut
Per connubia noſtra, per inceptos hymeneos. *Et*
Quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties aſtra ignea ſurgunt. *Et*

Coacerratio diuerſorũ.

Abijt, periit, nauem aſcendit. *Congeruntur diuerſa,*
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido? *Et apud Ouidium,*
Sed graue Nereidum numen, ſed corniger Ammon,
Sed quæ uiſceribus ueniebat belua ponti
Exaturanda meis. *Et*
Vxor ſine dote ueniet, intus pſaltria eſt,
Domus ſumptuoſa; adoleſcens luxu perditus;
Senex delirans.

Exclamationes congeſtæ.

Congeruntur etiam exclamationes,
Hanccine uitam? hoſcine mores? hanc dementiam?

Ac ferè in congerendo ordo adhibendus eſt, ut creſcat oratio. Contrà illa tanquàm diſperſa, à Cicerone diſsipata dici putat Quintilianus,

Diſſipata.

Hic ſegetes, illic uenium felicius uuæ,
Arborei fœtus alibi.

Diſſolutio.

Iam multa ad uim, & celeritatem diſſolute dicuntur, idq; non ſingulis tantum uerbis, ut
Nos æra, manus, naualia demus. *Et*
Terram, mare, ſidera iuro.
Verum etiam ſententijs,

Arma uiri ferte, arma, uocat lux ultima uictos,
Reddite me Danais, sinite instaurata reuisam
Prælia, nunquàm omnes hodie moriemur inulti.

Coniunctionibus abundans. *Sunt contrà quæ ad pondus, ac tarditatem coniunctionibus abundant, uel ijsdem sæpius repetitis,*

Drymoq; Xanthoq;, Ligæaq;, Phyllodoceq;. *Veldii e sis,*
Arma, uirumq; cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit
Littora multum ille & terris iactatus & alto
Vi superùm, sæuæ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoque & bello passus, dum conderet urbem,
Inferretq; Deos Latio, genus unde Latinum,
Albaniq; patres, atque altæ mœnia Romæ.

Gradatio. *Est etiam gradatio quædam ad uenustatem,*

Ortygium Cæneus uictorem Cænea Turnus. *Et*
Torua leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cythisum sequitur lasciua capella.

Et quod ex nostro uetere tragico Rhetorici doctores proferre solent,

Ioue propagatus est, ut perhibent, Tantalus,
Ex Tantalo Pelops, ex Pelope autem satus
Atreus, qui nostrum porrò propagat genus.

Omissio uerbi. *Hæc quidē quo exquisitiorem habere artem uidetur, eo rarius adhibenda est. Prætermittuntur autem uerba & breuitatis causa, & nouitatis, quæ sua placet natura, sic tamen ut omissum ex cæteris intelligatur,*

Hæc secum, *Et*
Quin age, si quid habes.

Interdum etiam pudoris, quale hoc est authore Fabio,

Nouimus & qui te transuersa tuentibus hirquis,
Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.

Quanquàm reticendi genus esse hoc alij ducunt. Sed aliud est, in quo sanè aut perspectum non est, quod reticetur, aut certè latius exponendum; aliud uerò, in quo unum profectò uerbum, idq; perspicuum desideratur. Nec sine ulla detractione fit, cùm ad unum multa referuntur, ut

Cui paruus Iulus,
Cui pater, & coniux quondam tua dicta relinquor?

Dispares loquendi formæ cōnectitur. *Huius etiā generis est, cū dispares loquendi formæ ex uno aptè cōnectūtur.*

Socijs tunc arma capessant
Edico, & dura bellum cum gente gerendum.

Diuersorum colligatio. *Est præterea cùm diuersa colligantur,*

Dumq; petit petitur; pariterq; accendit, & ardet.

Oppositorum copulatio. *Et cùm opposita consequuntur,* *Inopem me copia fecit.*

Transitus ad disparia. *Aut quæ similitudine decipiunt, cùm disparia sint,*

Breuis esse laboro, *Obscurus fio.*

Significans diuersa. *Iam idem uerbum non idem significans ponitur, ut multis profectò exemplis docuit Grauina. Sunt & similia, quorum alia non ualde inter se dissimilia uidētur, ut,*

Aerea cui gradibus surgebant limina nexæ
Aere trabes. *Et*
Omnis in Ascanio cari stat cura parentis. *Et*
Ipse uiro primus manicas, atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus.
Per loca senta situ. *Lamyrumq;, Lamumq;*
At pecus omne metu mutum.
Lybicis teris otia terris. *Digna atque indigna relatu.*
Mortali urgemur ab hoste *Mortales;*
Mortali ne manu factæ immortale carinæ *Fas habeant,*
Certusq; incerta pericula lustret, *Alia pariter desinunt,*
Velum aduersa ferit, fluctusq; ad sidera tollit,

Agnominatio. Pariter desinentia. Pariter cadētia. *Alia similiter cadunt,*

Syluarum, fruticumq;, uiret nemorumq; sacrorum. *Et*
Dimensi Rutuliq; uiri, Teucriq; parabunt. *Et*
Quare agite ò tectis iuuenes succedite nostris. *Et*
Ipsum inter pecudes uasta se mole mouentem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem.

Compar. *Alia paribus ferè spacijs uel incisè, uel membratim insistunt,*

Aude hospes, contemne opes, & te quoque dignum
Finge Deo, rebus ueni non asper egenis. *Et*
Nunc uiribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.

Hæc eadem si uel cadant, uel desināt similiter, speciosiora sanè redduntur,

Hæc, inquit, limina uictor
Alcides subijt, hæc illum regia cœpit. *Et*
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Scq; ortum antiqua Teucrorum à stirpe uolebat.

Contraria contrarijs relata. *Quàm multis fiunt modis, contrarijs relata contraria? Nam & singula singulis opponuntur, ut in eo quod dixi paulo ante,*

Mortali ne manu factæ immortale carinæ. *Et*
Solatia luctus.
Exigua ingentis, *Et sententiæ sententijs,*
Video meliora, proboq;, *Deteriora sequor.* *Et*
Triste lupus stabulis; maturis frugibus imbres;
Arboribus uenti; nobis Amaryllidis iræ.
Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis,
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.

Et uniuersis uniuersa pariter, ac singula singulis,

Omnia nunc rident. At si formosus Alexis
Montibus his abeat; uideas & flumina sicca.
Aret ager; uitio moriens sitit aeris herba;
Liber pampineas inuidit collibus umbras.
Phyllidis aduentu nostræ nemus omne uirebit,
Iuppiter & læto descendit plurimus imbri. Et
Nec si frigoribus medijs, Hebrumq; bibamus;
Scythoniasq; niues hyemis subeamus aquosæ,
Nec si, cùm moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum uersemus oues subsidere Cancri.

Oppositio. Illa quoque in oppositione quadam ponuntur,
Olli dura quies oculos, & ferreus urget Somnus. Et
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen idem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, et frena iugo concordia ferre, Spes est pacis, ait.

Ἰαμός. Iamq; pluribus idem exponitur uerbis.
Superát ne, & uescitur aura. Et
Faciem mutatus, & ora Cupido. Et

Πολυλογία. Postera uix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cùm primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, lucemq; elatis naribus efflant.

Circuitio. Et circunscribitur, cuiusmodi est illa de agnis circuitio.
Ouium teneros depellere fœtus. Et hæc de Ciconia,
Candida uenit auis longis inuisa Colubris.

Pronominatio. Et ueluti cognomine quodam id demonstramus, quod suo nomine posset appellari, ut,
Dardaniusq; nepos Veneris, Pro Ascanio. Et
Maia genitum demittit ab alto. Pro Mercurio.

Et quod est commune multorum nomen, hoc propter excellentiam alicuius proprium facimus, ut fit cùm Apollo dicitur,
Pastor ab Amphryso.

Bonum pro malo uocabulo. Et bene ominandi gratia bono pro malo uocabulo utimur,
Verbenasq; adole pingues.

Adolere enim id propriè est, quod augere, & ab Oreste apud Aeschylum quas alij uocant ἐρινύας δυμωδίας appellantur, cùm eas illi Minerua mitigasset. Et dicimus quod urbanum, festiuumq; sit;

Urbanitas. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui,
Atque idem iungat uulpes, & mulceat hircos.

Imminutio. Et imminutione plusquam dicitur significamus,
Nec tibi cura canum fuerit postrema.

Amplificatio. Et quemadmodum amplificatio est.
Fertur in abruptum magno mons improbus actu. Et

Horrendumq; intonat armis.

Mõs enim ꝑ saxo, intonat ꝑ insonat positũ est. Sic diminuimus, cũ dicimus.
Saxo occultabat opaco Pro antro. Et Diminutio.
Sonitus imitatur Olympi Pro tonitruis.

Fit imminutio nonnunquàm aut lepidè,
Non ingrata tamen frustra munuscula Diuis
Promittens, tacito suspendit uota labello. Et
Mæstis Minois ocellis. Aut etiam salsè
Morbosi pariter, gemelli utrique,
Vno lectulo erudituli ambo.

Quanquàm ad immutationem potius quàm ad conformationem uerborũ hæc attinent, ut à sententiarum exornationibus illa paululum declinant, cùm diluimus quod obijci posset,

Ἀνθυποφορά. Quid tum si fuscus Amyntas?
Et nigræ uiolæ sunt, & uaccinia nigra.

Dubitatio. Cùm dubitamus, quo nomine res appelletur,
Siue Deæ, seu sint diræ, obscenæq; uolucres. Et
O quam te memorem uirgo?

Correctio. Aut corrigimus siue quod à nobis ipsis dictum est,
Parthus quam felle ueneni,
Parthus, siue Cydon. Et
Habeo, ab quid dixi habere me, immo habui Chreme.
Nunc habeam, nec ne, incertum est,

Siue quod ab altero,
Incipe Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Immo hæc in uiridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi.

Personæ fictio. Cùm inuertimus nomen ad personam quodammodo fingendam,
Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem. Et
Sexcentos illi dederat Populonia mater. Et
Cùm semel in syluis imo de stirpe recisum
Matre caret. Huc etiam id pertinere uidetur,
Vir gregis ipse caper.

Ad propositum subiectio ratio. Cùm ad propositum ratio subijcitur uel multiplex interdum, ut,
Sæpe etiam steriles incendere profuit agros;
Atque leuem stipulam crepitantibus urere flammis,
Siue inde occultas uires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt, siue illis omne per ignem
Excoquitur uitium; atq; exudat inutilis humor,
Seu plures calor ille uias, & cæca relaxat
Spiramenta; nouas ueniat qua succus in herbas,

Seu durat magis,& uenas astringit hiantes.

Exclamatio. Quid cum exclamamus uel admirationis gratia,
O fortunati quorum iam mœnia surgunt. Et Heu quibus ille,
Iactatus facis? Quæ bella exhausta canebat? Vel miserationis,
Mantua uæ miseræ nimium uicina Cremonæ. Vel cõquestionis,
Pro scelus,ecce etiam Troianis matribus actis
Excussit fœdè puppes? Vel indignationis,
Pro Iuppiter ibit
Hic,ait,& nostris illuserit aduena regnis?

Reprehensio. Quam uis sententiã exornemus; nónne etiam est quĕ in uerba ponamus?
Nam ea uis cernitur in exclamando, quæ planè abesset, nisi pronunciando
adiuuaretur. Iamq; de his reprehendimus,quæ falsò in nos conferuntur,
Pulsus egoĕ aut quisq̃ meritò fœdissimè pulsum Arguet?
Dixerat enim Drances, Pulsus abi. Et
Coniugium uocat,hoc prætexit nomine culpam. Et
Nec coniugis unquam Prætendi tædas.

Relata ad singula. Sunt quæ singulatim ad res ꝓpositas referantur,cũ alijs demptis,alia in-
Non iam certamine agresti, (feruntur.
Stipitibus duris agitur, sudibús ue præustis,
Sed ferro ancipiti decernunt,atraq; latè

Idem in distributis. Horrescit strictis seges ensibus, Et item in distributis,
Messapus,Cloriumq;,Lycaoniumq; Ericaten,
Illũ in frenis equi lapsu tellure iacentẽ, Huc peditẽ pedes. Et
Cydippe,& flaua Lycorias,altera uirgo,
Altera tum primos Lucinæ experta labores. Et
Penè occupatã seditionibus, Deleuit urbẽ Dacus et Ethiops;
Hic classe formidatus,ille Missilibus melior sagittis;

In distributis suppositæ ratio. Est etiam in distributis suppositæ ratio,
Verùm neque tu illum satis noueras;
Nec te ille,hoc ubi fit,ibi non uerè uiuitur.
Tu illum nunq̃ ostendisti quanti penderes,

Permissio Nec tibi ille est credere ausus
Quæ est æquum patri. Est & permissio,ut,
Do quod uis,& me uictusq; uolensq; remitto.
Aut quod potius in hoc genere positum uidetur,
In me quid uis harum rerum conuenit,
Quæ sunt dicta in stultum,Caudex,Stipes,Asinus,Plumbeus.

Impromisum Et improuisum,
Nec tibi Diua parens generis nec Dardanus author.

Dinumeratio. Verũ ea de re plura tibi exẽpla suppeditabit comœdia. Et Dinumeratio.
Non umbræ altorum nemorum,non mollia possunt
Prata mouere animum,non qui per saxa uolutus

Purior

Purior electro campum petit amnis. Et
Illum non populi fasces,non purpura regum
Flexit,& infidos agitans discordia fratres,
Aut coniurato descendens Dacus ab Istro,
Non res Romanę,perituraq; regna,neque ille
Aut doluit miserans inopem,aut inuidit habenti.

Et sibi ipsi responsio, Sibi ipsi responsio.
Exclusit,reuocat,redeam? non, si me obsecret.

Et transitione quadam continuatum, Transitione continuatiũ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam. Et
Hactenus aruorum cultus. Et Postq̃ res Asiæ. Et
Sic Venus. at Veneris contrà sic filius orsus. Et interruptum, Interruptiũ.
Immo ego nos,cui sola salus genitore reducto, Excipit Ascanius.

Adde & quę in uocabulorũ constructione uersant,cũ anticipat id quĕ cõ- Anticipatio.
Continuò reges,ingenti mole Latinus (mune est,
Quadrijugo inuehitur curru,bigis it Turnus in albis.

Et quæ sequuntur,cùm uel numerus comprehenditur, Cõprehensio.
Sunt nobis mitia poma,
Castaneæ molles,& pressi copia lactis. Vel genus,
Leges,& plebiscita coactæ. Et
Est mihi namq; domi pater,est iniusta nouerca,
Bisq; die numerant ambo pecus,alter & hœdos, Vel persona,
Egregiam uerò laudem,& spolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus, Vel casus,
Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt, Vel & casus & persona
Diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum.

Vel res ipsæ minus propriè cohærentes,
Sacra manu,uictosq; Deos,parumq; nepotem
Ipse trahit.

Nepos enim tantum propriè trahebatur, cum uno uerbo & superiores Coniunctio.
orationis partes coniunguntur,& inferiores,
Ire iterum in lachrymas,iterum tentare precando
Cogitur,& supplex animos submittere amori.

Cũ uerbũ,quo res cõprehendunt,nõ interponimus, sed aut primũ colloca- Adiunctio.
Ardet abire fuga,dulcesq; relinquere terras. (mus,
Aut postremum
Quantum uertice ad auras
Aetherias; tantùm radice ad tartara tendit.

Cùm eorum quæ dicuntur singula certo complectitur uerbo, Disiunctio.
Eiectum littore egentem
Excepi,& regni demens in parte locaui,

Appositio.

Amissã classem, sociosq; à morte reduxi. Cũ quid apponimus,
Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent.

Eiusdem casus continuatio.

Cùm denique in oratione uniusmodi serie continuata idem nominum casus usque ad clausulam seruatur,

Principio cœlum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit.

Hæc sunt quæ ad carmen sententijs, uerborumq; conformationibus illuminandũ in præsentia se mihi obtulerunt, ut exemplis exponerentur. Nam & hæc eadem omnia, & plura alia copiosius sunt consectati, qui ea non ut partem operis attigerunt, sed priuatim in libros distributa abunde atque distinctè tractauerunt. Tum Sũmontius, esto, inquit, protulerint illi multa ex oratoribus ad docendum, ex poetis autem ita pauca produxerunt, ut nisi tu iam nunc ostendisses, quo singula hæc loco apud eos reperiantur, nondum planè perspectum esset, quo modo in poesi illa ipsa tractanda sint. At uelim, ut memor sis, expectationem tibi nostram explendam esse, qua ratione dicendi figuras eisdem in locis inclusas, ex quibus argumenta sumuntur, commõstres. Nec dum enim Græcorum quisquam, nec Latinorum, cuius quidem nomen ad meas aures peruenerit, id executus est. Quod unde petendum esset cõpertum haberemus. Morem geram, inquit, Syncerus. Quando tu quidem loco id quæris. Ac primùm ex Marci Tullij Topicis proferam, quos ille in re insitos nominat locos. Nam ad id totum quod disseritur, ut idem ait, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi. Ex ijs autem rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectibus, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. Deinde commonefaciam, memoria tenendum esse, uim omnem eloquẽtiæ præterq; quod in rebus, ac uerbis ponitur, collocari etiam in artificio dicẽdi, quod quidem profectò in utrisq; uersatur. Cũ enim & res multæ scriptori deferantur, & uerba multa suppeditet consuetudo, artificium tamen ab ipso totum proficiscitur. Nã duplex est poetæ subiecta materies. Vnã rerum earũ, quas uel à natura, uel ab arte, uel à fortuna profectas adscribendũ sibi ille proposuit. Altera est, quæ tota oritur ab inuentione scriptoris. Ita in hoc genere inuenienda sunt, quæ ad illud superius exponendum, atq; exornandum adhiberi oportet. Rerum enim natura Lucretio materiã obtulit, quam ille tractaret, Virgilio in Georgicis ars agri colendi, in Aeneide casus atq; fortuna. Ac ueluti ad naturam attinere intelligimus non modò, quæ ipsa gignit, & quibus utitur ad gignendum; uerùm etiã doctrinam, quæ de illa est, sic ad artem quoq; spectare arbitramur, & rationes in ea uel ad intuendũ, uel ad augendũ, uel ad faciendum aliquid collocatas, & quæ ex illa perfecta sunt. Itemq; & instrumenta, &

De locis exornationum.

materiam; ex qua opus conficitur, etiã si natura eam sibi adsciscat. Quid aũt casus ferat, quid ue fortuna, nemini perfectò dubiũ esse debet. Quia uerò quæ uiolenter cadunt, omnia uendicat casus; illa item huic assignantur. Quorum causæ cùm tribuantur uel naturæ, uel fato, euentus tamen uiolẽti sunt. Quod genus esse uidentur eluuiones, exustionesq; terrarũ, turbulentæ procellæ, repentina belluarum multitudo, pestilentia, uastatio, sterilitasq; agrorum. Vt autem Physicus poeta, quiq; artis præcepta tradit, non aliunde supellectilem ad exornandũ assumat, quàm unde oblata erat materies ad tractandũ; Heroicus tamen, ac Tragicus item, & quicunq; fabulas fingit, ad rei propositæ tractationem, atq; ad exornationem ferè adhibet, quæ generis sunt non eiusdem, aut si uno eodemq; genere continẽtur, specie quidẽ differunt. Empedocles enim cũ Physicæ sibi proposuisset, de quibus disseret, Physicè illa pertractauit. Et Hesiodus cùm de agrorum cultu scriberet, præceptis ad eã artẽ attinentibus, rẽ explicauit. Homerus aũt de his, quæ tulissent, quæq; fecissent Heroes illi Græcorũ laudatissimi, cũ esset scripturus (Dij boni) quot generũ, & quàm uariũ, multiplexq; sibi instrumentũ ad opus illustrandũ cõparauit? Atq; ut hæc planiora fiant, cũ Pollioni natus esset filius quo tempore Cæsar Augustus imperabat, si quis historicorum id descripsisset, illũ fortasse pueri commendasset, quod ijs parentibus, quibus nihil in omni laude præstantius, qd eo principe, quo nihil maius, nihilq; augustius, qd eo loco, quo nihil illustrius, quod ea iam ortus esset ætate, qua felicius nihil unquàm extitisset. Quod Dij immortales eã clarìtate, eãq; indole hunc ipsum commendari uoluissent, qua nondum præclarius quicquam ostendissent. Eandem commendationem Vergilius aliunde, quo rẽm maiore afficeret dignitate, petendam sibi arbitratus similitudines quæsuit, & coniunctæ, & quæ consequuntur, cùm Apollinem iam tum regnare dixisset, quo non eum modò, quem oculis cernimus, Solem significari noluit, uerùm etiam, cuius hunc imaginem esse aiunt Platonici, diuiniorem illum quidem, sed à sensu uidendi alienum, & quod eo regnante consentaneum erat euenire, quod est,

Toto surget gens aurea mundo.

Et quicquid felix, faustumq; de ultima ætate Sibyllinis uersibus promittebatur, itemq; quod Solis accessum, quod præsentiam consequi oportebat, ut,

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Ac multa præterea, quæ cum ubertatem & copiam quandam mirificam præseferrent, ad earum quoq; temporum felicitatem adiungi par erat. Atq; totus hic rerum apparatus à naturæ thesauris depromptus est ad id exornandum, quod natura eiũ uendicat, pro eo ac si inter homines ille neluti Sol esset futurus, qui iam tum ortum habuisset. Quid ille idem Poeta, quàm caducum, & quàm fragile sit genus hominum, ostensurus cùm esset, quod quidem accidit ui quadam propriæ naturæ, alterum genus itidem suapte natura imbecille ac cito periturum, quo hoc ipsum exprimeret, assumpsit. Exposita enim rosæ fragilitate usus est profectò uitę humanæ imbecillitatem

breuitatemq; sub aspectum subiecisse, quanuis ne uerbum quidem de illa fecisset, Nam occultè id molitus, ut alienæ infirmitatis exẽplo ad nostræ agnitionem nos excitaret, postremis uersibus apertè declaranit,

Collige uirgo rosas, dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

Quod ipsum si fuisset historicorum aliquis factturus; quanq̃ pulchriore amplioreq; dicendi ornatu quàm Physicorũ quilibet hoc esset prosecutus; nõ tamen ab eiusdem ui naturæ discessisset. Quam itẽ alibi haud oĩno prætermisit poeta; sed comparatione pulcherrima illuminatam ante oculos posuit,

Hic iuuenem agresti sublimem in gramine ponunt,
Qualem uirgineo demissum pollice florem.

Iam Lyricus poeta auaritiã animi morbũ simili corporis ægrotatione de-
Crescit indulgens sibi dirus hydrops (scripta exposuit,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenus, & aquosus albo Corpore langor.

At uerò ut Brutum à bello ciuili, ad quod se ille cõparabat, dehortaretur; cùm hic idem nauẽ à periculosa nauigatione deterret, nónne ab hoĩe ad rem ex arte constantem omne styli acumen conuertit? Sic enim illam affatur,

O' nauis referent in mare te noui
Fluctus, ò quid agis? fortiter occupa
Portum, nónne uides, ut,
Nudum remigio latus? Virgilius autem cùm ait,
Alta petunt, pelago credas innare reuulsas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole uiri turritis puppibus instant.

Rerum naturalium comparatione, quæ ex arte fiunt, illustrauit. Age uerò cùm aliquem seu uirtute, seu doctrina, aut quauis arte insignem cõmendamus, eiusdem institutionis præsides Deos si eum secutos facimus, nónne pulcherrimè rem exornamus? ut,

Postquàm te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.

Tanq̃ si Daphnis, quẽ alloquitur & agri colẽdi fuisset peritus, & suauissimis musarũ studijs affluxisset, Quod quidẽ sanè antecedere oportebat. Et

Quæ nemora, aut qui uos saltus tenuere puellæ
Naiades, indigno cùm Gallus amore periret?
Nam neque Parnassi uobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aoniæ Aganippes.

Ex quo facile intellectu est, quod antegredi consentaneum erat, in summis poetis Gallum haberi. Iam Deos de cœlo ad Thetidis nuptias aduenisse quid aliud Catullo significauit, quàm & animi uirtute, & corporis dignitate omnium fore præstantissimum, quem ex ea Peleus esset procreaturus? Quod profectò consequi par erat. Quid ex armis, quæ Vulcanus Aeneæ

fabricatus est, Virgilius innuit? Quid aliud, quàm Rutulorum, Turniq; regis futuram cædem, cùm ait,

Miraturq; interq; manus, & bracchia uersat
Terribilem cristis galeam, flammasq; uomentem,
Fatiferumq; ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem.

Et cætera. Fecerat enim supra, id ab Aenea prædici ex his, quæ antecedebant. Cùm eadem ille sibi arma deferri à matre animaduertisset. Puto me planè ostendisse Poetæ artificium, uimq; inueniendi, quæ Topica dicitur, quomodo in rebus uersetur. Quia uerò in uerbis etiam non minima ex parte collocatur (nam & uerba inuenienda sunt, quibus quæ ille excogitauerit, explicet) qua ratione illorũ inuentionem assequamur, exponã. Omnia enim uerba cùm aut propria sint, aut translata (nam prisca, noua, usitata, è consuetudine remota, horũ in ordinem alterutrum cadant necesse est) utroque in genere hoc tertium reperitur. Quod cùm Latino uocabulo careat, Græco quidẽ nomine Topicum fortasse poterit appellari. Id autem fit cùm ex quibusdã dicendi locis in ipsa re inhærẽtibus locutio promitur, ut ab his quæ trita sunt et peruulgata discedamus. Multa enim Latinè dicũtur ac probè, si usitatè enuncientur? Quæ tamen hoc genere loquendi redduntur ornatiora. Quotidiani puriq; sermonis est Parit, aut Gignit, aut, Procreat, At *Loci exornãdi, qui in uerbis ponũtur.*

Vnde animale genus generatim in luminæ uitæ
Reducit Venus. Et Sub luminis edidit oras. Et
Effert in luminis oras.

Ad ornatum à consequentibus deprompta sunt. Quotidiani puriq; sermonis est oriri, aut nasci. At *A consequentibus.*

Aëris in teneras possint proferrier auras.
Superumq; ad lumen ituros.
Si lumina uitæ Attigerint.
Animæ, quibus altera fato Corpora deben tur.

Quod ex Pythagoricæ penetralibus Philosophię arripuit poeta, quasi alias ijdem illi in hanc uitam prodijssent, eodem ex loco assumuntur. Romanũ quoque usitatumq; uerbum est, Occidere, At

Spiramenta animæ letali uulnere rupit.

Pro eo ac spiritum esse, flatumq; animam censeret, ut in Philosophorũ scholis non defuere, qui affirmarent, ex antecedentibus abreptũ est. Quemadmodum pro mori ex consequentibus quidem, *Ab antecedentibus. A consequentibus.*

In æternam clauduntur lumina noctem.

Ex adiunctis autem, & quidem ex his quæ antegrediuntur, *Ab adiũctis*

Tuaq; animam hanc effundere dextra. Et
Vndantiq; animam diffundit in arma cruore.

Tanquam animæ sanguis illi esse uideretur, ut asserere nescio quos Philosophorum non puduit, & ad uitam reuocari pulcherrimè mihi quidem circun-

scriptum uidetur, cùm ex his, quæ subsequi oportet, dictum est,

Ad sidera rursus
Atheria, & superas cœli uenisse sub auras.

Quid? diem illuxisse, & noctem esse cùm ex quotidiana locutione sint, nõ ne pro illo tum ex his, quæ consequuntur, tũ ex his, quæ præcurrũt, ductũ est,

A consequẽtibus. *Et iam prima nouo spargebat lumine terras*
Tithoni croceum linquens aurora cubile. Et
Postera phœbea lustrabat lampade terras,
Humentemq; aurora polo dimouerat umbram.

Ab antecedentibus. *A cõsequentibus.* *Vt ex effectis rebus ijs duntaxat, quæ antecedunt,*
Tertia lux gelidam cœlo dimouerat umbram.

Ab effectis rebus. *Ex adiunctis autem,*
Et me sæuus equis oriens afflauit anhelis.

Ab adiũctis *Solet enim cùm sol oritur flare ab ortu anhelitus, quo aer tepescit. Atque circunscribitur ortus diei, qui apud Romanos initium à dimidio noctis ducebat. Pro hoc uerò ex causis,*

A causis. *Vbi cœlum condidit umbra Iuppiter*

Ab effectis. *Ex effectis autem quod sequitur,*
Et rebus nox abstulit atra colorem.

A cõsequentibus signis. *Iam ex his quæ sequuntur, ut signa,*
Suadentq; cadentia sidera somnos.

Significat multum esse noctis absumptum; ut prope dimidium,
Iamq; ferè cœli mediam nox humida metam Contigerat.

Ab antegrediẽtibus causis. *Ex his quæ antegrediuntur ut causæ. Quamq̃ enim motus nõ est, quin etiã sit tempus, cũ alterum altero metiamur, esse tamen ille prius, quàm hoc intelligitur. Quoniam sine mundi conuersione tempus effici non potest. Atque ad æternitatem rei notandam ex disciplina Stoicorum assumitur,*

Polus dum sidera pascet.

Quasi humore sidera alantur. Quod probabile potius est, quàm necessariũ.

Ex cõsequentibus. *Age uerò id, quod insirere est, quàm uariè, quàm diserte innuit poeta?*
Steriles Platani malos gessere ualentes,
Castaneæ fagos, ornusq; incanuit albo
Flore pyri, glandemq; sues fregere sub ulmis.

Cùm utique necesse sit, ut post insitionem Platani malos gerant, castaneæ fagos, ornusq; flore pyri canescat, nisi quid accidat, quod sit impedimento; sues autem ut glandes frangant sub ulmis, consentaneũ sit euenire. Sed quanuis non eadem in adiunctis, atque tum in cõsequentibus, tum in his, quæ antecedunt, in sit rei significandæ necessitas. Quæ tamen ex illis petuntur, maiorem, quàm quæ ex his, uim solent interdum habere. Illud enim,

Ferit æthera clamor,

Ex necessario consequẽtibus. *Ex his ductum est, quæ necessario consequuntur. Quippe necesse est, ut aer clamando pulsetur. At*

Ferit aurea sidera clamor;

Quod ex adiunctis arripitur, iam planè addit, & si necesse non est, ut clamore sidera feriantur. Atq; à singulis quidẽ locis quæ dicendi ornamẽta sumãtur, indicemus; ex definitione, quæ uniuersa uis explicatur, hoc sumptũ ẽ. *Ex adiũctis.* *Ex definitione.*

Ira breuis furor est. Et
Famam extendere factis Hoc uirtutis opus. Et
Occultum inspires ignem. Et
Cæco carpitur igni.

Cõstat amorẽ esse ignẽ in uenis penitus inclusum. *Ex partiũ enumeratiõe.* *Ex partium enumeratione.*
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt
Prata mouere animum, non qui per saxa uolutus
Purior electro campum petit amnis.

Ex uerbi notatione, *Ex uerbi notatione.*
Vnde locum Graij dixerunt nomine ἄοιρον.
Strophades Graio stant nomine dictæ.

Ex coniugatis, *Ex cõiugatis*
Aerea cui gradibus surgebant limina, nexæq; Aere trabes. Et
Nam bona bonis ferri reor æquom maxime. Et
Ergo oratores populi summates uiri
Summi accumbent, ego infimates infimus.

Ex genere, *Ex genere.*
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.

Ex forma, *Ex forma.*
Loca fœta furentibus austris.

Ex similitudine, *Ex similitudine.*
Claraq; in luce refulsit
Os, humerosq; Deo similis.

Nam Phœbo similis inducitur Aeneas. Quippe quem alibi cum illo ipso Deo comparauit idem Poeta, Vbi ait,

Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthiq; fluenta
Deserit, ac Delum maternam inuisit Apollo.

Ex dissimilitudine, *Ex dissimilitudine.*
At non tam turpes pecudũ tamen ulla secuta est, Cõcubitus. Et
O terq; quaterq; beati,
Queis ante ora patrũ Troiæ sub mœnibus altis Cõtigit oppetere.

Videlicet dispari ille fortuna conflictabatur. *Ex contrario,* *Ex cõtrario.*
Mortalinę manu factæ immortale carinæ Fas habeant? Et
Triste lupus stabulis.
Dulcę sitis humor.

Ex adiunctis, *Ex adiũctis*
Illa uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Consentaneum enim hoc illi erat; quæ consueuerat cursu pedum præuertere uentos. Et

Iam summa procul uillarum culmina fumant

Ex antecedentibus. Quo noctem prope adesse intelligitur. Ex antecedentibus,

Cauum conuersa cuspide montem

Impulit in latus, at uenti uelut agmine facto

Qua data porta, ruunt.

Vt quanta impendeat tempestas, planè animaduertamus. Et

Sublimemq; feres ad sidera cœli.

Ex cõsequentibus. Quia futurus erat Deus. Ex consequentibus.

Hic Priamus quanquàm media iam morte tenetur,

Non tamen abstinuit, nec uoci, iræq; pepercit.

Nam facilè perspicimus magnum profectò, acremq; animum, ac uerè quidem regium Priamo fuisse, cui sanè ille deesse nec decrepita ætate, nec morte imminente potuisset. Et

Votis iam nunc assuesce uocari.

Ex repugnãtibus. Deus enim in uota uocatur. Ex repugnantibus

Nec te Diua parens, generis nec Dardanus author. Et

Quem secum patrios aiunt portare penates?

Quem subiisse humeris confectum ætate parentem?

Ex causis. Dissentanea Dido illis hæc esse putabat, quæ ipsa ab Aenea patiebatur. Iam ex causis,

Talia flammato secum Dea corde uolutans.

Flammato enim corde pro irato positũ est. Quoniã ira tũ animi ardor, tũ feruor mentis, propterea quod id causæ est, quo irascimur, esse definitur. Et,

Solemq; reducit,

Ex rebus effectis. Quod est diem, aut lucem, quę nubibus dispulsis ab illo diffunditur, cùm ipse è cœlo nunquàm discedat. Ex rebus autem effectis,

Pallentesq; habitant morbi, tristisq; senectus.

Nam quàm sæpe ex euentis rem describamus, dubitat nemo, ut,

Fama malum, quo non aliud uelocius ullum,

Mobilitate uiget, uiresq; acquirit eundo.

Ex maiore. Maiora autem, & minora, & paria comparantur hoc modo, Ex maiore,

Quem fugis ab demens? habitarunt Dij quoque Syluas.

Quo minus ea contemnat, quæ Dijs placuerunt. Et

Quid si non arua aliena, domosq;

Ignotas peteres; & Troia antiqua maneret?

Troia per undosum peteretur classibus æquor?

Si Troia neutiquàm petẽda per undosum classibus æquor; eo minus Italia.

Ex minore. Ex minore,

Quid domini faciant, audent cùm talia fures? Et

Quis talia fando

Myrmidonum,

Myrmidonum, Dolopúmue, aut duri miles Vlyssi,

Temperet à lachrymis?

Quanto magis illi flendum erat. Si rerum earum recordatione ne hostis quidem lachrymas continere potuisset? Expari,

Hęc eadem ut sciret quid non faciebat Amyntas? Et

Quibus idem Dardanus author,

Atque idem casus, unam faciemus utranque

Troiam animis. Et

O dolor, atque decus magnum rediture parenti,

Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert.

Hæc ita exponere uolui, ut breuissimè exponi potuerunt. Si quis enim Thesaurum ita multifariam obruisset, ut erui signis quibusdam perspectis ille potuisset; quemadmodum is planè satis uidebitur fecisse, ubi notas ostenderit locorum. Sic puto, quibus dicendi figuræ sedibus latent, de his nihil à me præterea requirendum esse; ut uerborum, sententiarumq; ornamenta reperiantur, cùm satis apertè signa commostrauerim. Quibus quidem cognitis, cætera studio, & exercitatione consequi nemo non possit, præsertim cùm partitè, atque distinctè non paucis exposuerim, quàm multa sint hæc poeticæ lumina orationis. Illud porrò arbitror non esse prætermittendum, quod, cùm familiaris admodum sit oratori adiunctorum locus, poetæ tamen est longè famililiarior, Ex quo ille & quæ uera sunt, & quę ficta depromit. Conflictum enim hoc est & quidem ex hac sede arreptum, Locus ex adiunctis poetę familiaris.

Atque illi medio in spatio chorus ecce suarum

Occurrit comitum, Nymphæ; quas alma Cybele

Numen habere maris, Nymphasq; è nauibus esse

Iusserat, innabant pariter, fluctusq; secabant.

Nam uerisimile erat, ut quas poeta in Nymphas fecerat mutari, illi occurrerent uenienti cuius fuerant naues, illumq; alloquerentur, ac facerent, quanto res in periculo uersaretur, certiorem. Nec uerò fit, quin idem non uno de loco aliquando petatur; ut, Idẽ ex pluribus locis petitum.

Quo ferrea primum

Desinet, ac toto surget gens aurea mundo. Et

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Quæ cùm ex adiunctis ducantur, tum à similibus, tum ab ijs, quæ sunt orta de causis, proficiscuntur. Quando enim puer ille cum sole cõparatur, quæ sol adueniens facit, nascenti puero quoq; tribuuntur. Nam post certos, definitosq; anfractus, redituq; solis, qui multa quidem hominum secula comprehendent, cùm ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, fore arbitrantur; ut quemadmodum eandem totius cœli descriptionem longis interuallis, sic prima illa, quæ aurea tempora dicta sunt, referant. Ac uerè cùm sol ad quam nos incolimus regionem, accedit, perspectum planè est flores ex terræ sinu proferri. Iam & quæ solem adhuc præsentem, & quæ hinc disce-

dentem, ut res effecta consequuntur, & quę absente illo ipso, & quę redeunte, consequens est, ut eueniant, homini consentaneum erat ut attribuerentur, etiam cùm prorsus nulla sideris huius mentio fieret; Sed ab eo, cuius propria sunt, duceretur similitudo. Poetæ uersus hi sunt,

Stant & Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.
Strata iacent passim sua quæq; sub arbore poma,
Omnia nunc rident. At si formosus Alexis
Montibus his abeat, uideas & flumina sicca.
Aret ager, uitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas inuidit collibus umbram.
Phyllidis aduentu nostræ nemus omne uirebit;
Iuppiter & læto descendet plurimus imbri.

De aptè dicendo.

Quia de ornatu omni dicendi si non sunt omnes patefacti, at certè cõmonstrati loci; nunc quid maximè in carmine deceat (id enim est, quod aptum sit) si uidetur, attingamus. Hoc loco Summontius, nunquid esse potest, quod magis, inquit, adolescentes hi quidem expectent, nos autem uidendum censeamus? Tum Cossus, sanè quidem ad hoc ipsum, inquit, ut etiam pro Scortiano ac Theto respondeam, animi cogitationem intendebamus, cùm id reliquum sit, ex his, quæ ad bene scribendum Syncerus tenenda esse admonuit; et quidem difficultatis plurimum habeat. Nam de planè ornateq; dicendo permulta præcepta sunt. Id autem ut aptè fiat, nondum repertus est, qui perfectè, pleneq; docuerit. Verùm enim qui non modò notas locorum ostendisti, ex quibus ornatus erui possit orationis, sed artem etiam inueniendi, quod ne uix quidem attigerat quisquàm, ut uerba quidem ex uerbis, res autem ex rebus ducantur; Tu idem ipse, ut spero, quod aptum est planè dilucideq; expones. Tum Syncerus, est sanè, inquit, de hac re, ut dicis, cùm perspicuum id esse Cicero putauerit, non omni causæ, nec auditori, neq; personæ, neq; tempori congruere orationis unum genus. Itaque arbitratur hoc loco, nihil sanè esse, quod præcipi posse uideatur, nisi ut figuram orationis plenioris, & tenuioris, & item illius mediocris ad id, quod agimus accomodatam deligamus. ornamentis ijsdem uti propemodum licere, alias contentius, alias summissius; omniq; in re posse, quod deceat, facere, artis, & naturæ hoc esse, scire quid, quandoq; deceat, prudentiæ. Quia uerò prudentia uel comparatur doctrinæ præceptis, uel adiuuatur, operæpretium facere mihi quidem profectò uidear, si ea de re, quæ ducam potiora, perstringam. Ac primum ut quid cuique personæ conueniat, probè aduertamus, memoria tenenda sunt, quæ cùm de ratione morum disceptaretur, accepistis. Refert enim, qui loquitur qua sit ætate, honore, authoritate; qua conditione, fortuna, gente; quo denique natus loco, & institutus. Nam alios alia decet dicendi ratio, pressa, & moderata, & mitis, & limata seniores, ac certè qualem innuere uoluit Cicero, cùm dixit, orationem suam cœpisse canescere. Iuuenes plena, & copiosa, & ardens, & erecta, & audax, & exculta. Queadmodum neque idem uestitus

in utraque ætate, neque ijdem mores probantur. Quis nam in sene ubertatẽ, ardoremq; & elationem ferat, aut florem orationis, ac uerba exquisitiora, & quod omni sit elegans numero, cęterumq; perpolitæ compositionis ornatum? in iuuene quod siccum, quod contractum, atque subtile, quod seuerum & immaturè senilem redolens authoritatem? Ac sanè tibi erit exemplo Turnus, uti adolescentem eloqui deceat; ut seniorem, Latinus. Iam qui ad ministrandæ reipublicæ se tradiderit, non ueluti Philosophus ab ea longissimè remotus temperatum, & in mediocritate quadam eloquendi positum genus; aut simplex, & quotidianum consectabitur, ut Militaris, sed tanquàm uir ciuilis, uereq; sapiens, & uim omnem, & copiam, & suauitatem eloquentiæ decorè ad id, quod suscepit efficiendum, adhibuerit. Quales ab Homero Nestor, & Vlysses fingunturr. Est quod principes, regesq; ut sibi congruens uendicent. Nam ut copiosum quod est, ac iucundum, & elaboratum, in ijs minimè requiratur, id tamen quod graue est, & pondus habet sententiarum, cum uerborum elegantia coniunctum desiderari non debet. Itaque diuersa hęc ratio personarum facit, ut quod est in alijs liberum, in alijs stultum habeatur. Dicat Diomedes quæ in Agamemnonem dicuntur à Thersite, ut ille risum mouit, qui stultè, ac dementer facere putabatur. Hic admirationem excitaret; cùm animi magnitudinem præferre uideretur. Nec minus interest, qui audiant. Parit enim dissimilitudinem ętas, potestas, imperium, dignitas. Non eadem Iunoni roganti, atque Æolo respondenti congruebat oratio. Si rogaretur maiore præditus potestate, præmium meritis pro talibus ei promittere dedeceret, cùm minus profectò eius ferret amplitudo, ut donis ad benemerendum adduceretur. Quia uerò quæ dicuntur plurimum habent momenti, is demum dicet aptè, qui non modò quid expediat; Sed etiam quid deceat, inspexerit. Quæ cùm plerunque sint coniuncta, non erit hic mihi disceptatio, num quando seiungantur. Verùm ubi hæc inter se pugnauerint, præstabit, ut quod decet, uictoriam consequatur. Sunt porrò trium rerum genera, honestæ quidem ut facere omnes, sic etiam dicere, & semper & ubique maximè decet. Turpia uerò neminem uspiam profectò unquàm. His autem interiecta, & tanquàm media sit sanè, ut magis, minusue concedenda sint, aut reprehendenda, pro ut personæ, temporis, loci, causę ratio postulauerit. Datur uitio rerum iactatio nostrarum, quæ plerunque audientibus molesta est; ac si aliorum habeat contemptum, uehementer stomachum moueat, ut

Non pudet obsidione iterum, ualloq; teneri
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?

Et quæ sequuntur. At

Talia iactantem dictis, & dira canentem
Non tulit Ascanius, neruoq; obuersus equino
Contendit telum, diuersaq; bracchia ducens

Constitit ante Iouem, supplex per uota precatus.
Exaudijt preces adolescentis Iuppiter indignatus intolerantiam hominis sese efferentis impudenter.
Ac fugit horrendum stridens elapsa sagitta
Perq; caput Remuli uenit; & caua tempora ferro Traijcit.
At contra defenditur non arroganter hoc dictum,
Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates
Classe ueho mecum, fama super æthera notus.
Cùm sese Aeneas roganti quis esset indicaret. Neque illud,
Incipe si qua animi uirtus, & consere dextram,
Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem.

Quod quidem est in hostem conuicio lacessentem, minantemq; insolenter. Iam uerò ut agere immoderatè, ac tumultuosè, & iracundè; Sic etiam dicere, cùm omnibus indecorum est, tum maximè ijs, qui uel dignitate, uel ætate, uel usu rerum, atque prudentia cæteris prestant. Decore autem id fit, si personę congruat. Quanquàm enim coniugem Iouis, Deorumq; reginam iracundia uehementer efferuescere dedecebat, cùm ea tamen à Poetis nihil tumultuosius, nihilq; iracundius fingatur, non sanè reprehendi potest quòd omnia permiscet, nil linquit inausum, sese in omnia uertit, quassans caput stomachi uirus euomit, nec dubitat implorare quod usquàm est. Flectere, inqt, si nequeo superos, Acheronta mouebo. Quid multa? Nulla non in re perspiciendũ est, nequis authoritatem suam neglexisse uideatur. At præ nimia quidem ulciscendi libidine cũ suæ dignitatis oblita Iuno supplex Aeolũ adiuit, iracundæ probè habitam personæ rationem perspicimus, non eius quæ principem locum in Dijs obtineret. Age uerò ad aptè dicendum quàm necesse est, ut planè intelligamus, quid conciliando, quid docendo, quid mouendo auditori conueniat, quid quaque parte orationis, quid quoque genere petatur, quo loco singula collocentur, quo denique modo quæq; dicendi ratio tractetur. Horum utique postremum reliquũ est, ut quàm dilucidè ac breuiter potest explicetur. Cùm planè horum dierum disputatione cætera sint exposita. Nam & quod inuentionis est, abunde docuimus, quæ res ordiendo, quæ narrando, quę partiendo, quæ quod susceptum est pertractando, quæ confirmando, quæ concludendo attingantur, & quod dispositionis, quem interse hæc eadẽ ordinẽ seruent, qua serie nectantur accõmodatè, & quod elocutionis, quę singulis uerba ijs congruant, quod genus orationis. Neque enim ordienti prisca, aut immutata, aut ficta, neque narranti concedam. Neque comprehensione circumscribam, quæ diuidenda sunt, ac distinctè in partes suas dirigenda. Nec sinam uulgata, ac simplici locutione perorari. Nec uelim ut iocis lachryma, ubi miseratione erit opus, arescat. Iamq; aliud dicendi genus suasiones, aliud exhortationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputatio, aliud historia desiderat. Verùm enim quàm multa sint hæc genera dicendi, quo pacto tractentur. Quod quæquè causa eorum

generi dicendi.

maximè requirat, ut locus hic feret, attingam. Nam latè, atque abunde id persequi, non est de poetica elocutione tam multa uno sermone perstringentis. Qui uerò ex Græcis ea de re præcepta tradiderunt, simplicium, coniunctorumq; uerborum communia septem hæc esse dixerunt quasi lumina, Dilucidum, Grande, Concinnum, uolubile, moratum, uerum, graue. Dilucido qd elegans, & quod purum est, cõplectuntur. Grandi, quod magnificum, dignitatisq; plenum est; quod asperum, & triste; quod acre, & contortum; quod splendidum, & illustre; quod uehemens, & cõmotum; quod plenum, & uber. Morato quod humile; quod suaue; quod acutũ; quod modestũ, attenuatumq; est. His tanquàm dicendi formis quod sententiarum genus, qui modus eloquendi, quæ compositio congruat, prout & res ipsa postulat, & persona, intuendum esse præcipiunt. Itaque dilucidum illud, quod purum appellãt, usitatis conficitur sententijs, quotidianis uerbis, non accuratè collocatis, proprijs, rectè dispositis, uel intermissione, uel conclusione orationis, quæ progrediens pedibus, numerisq; ultro se offerentibus, cuiusmodi trochæos esse dicũt, & Iambos, insistat, ut, Purum dicẽdi genus.

O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil nostri misereris, mori me denique cogis.

Elegans sit usitatis quidem, sed lectioribus uocabulis, sminutione ad id qd aggrediaris, sppositione, partitione rerũ earum, de quibus sit dicendũ, distributione, trãsitione, repetitiõe. Eadẽ ferè collocatio uerborũ, ijdẽ numeri, eadẽ clausulæ, eadẽ formæ huic, atq; superiori, eademq; penè sentẽtiæ tribuuntur. Elegans.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere Mecænas, ulmisq; adiungere uites
Conueniat, quæ cura boum, qui cultus habendo
Sit pecori, atq; apibus quanta experientia parcis,
Hinc canere incipiam.

Hæ elegantia & munditia loquendi facit, ut quocunq; in genere apertè, atq; distinctè rem explicemus. Atq; ut illi opponitur circũscripta, longiusq; ꝓducta oratio, huic itẽ incondita & perturbata. Quæ nusquã non in primis uitanda est, nisi ea fuerit commotio mentis, & perturbatio, quę cũ eleganter nos eloqui non sinat, confusione uerborum sit exprimenda, ut, Quæ sint uitanda. Oratio lõgius producta. Perturbata.

Iuuenes fortissima frustra
Pectora, si uobis audentem extrema cupido
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna uidetis,
Excessere omnes adytis, arisq; relictis,
Dij, quibus imperium hoc steterat, succurritis urbi
Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus.

At quod est è regione dilucidi, obscurum conficitur aut longitudine, aut cõtractione orationis, aut ambiguitate, aut inuersione, aut immutatione uerborum. Idq; omnino fugiendum est, nisi in hoc incidatur, qd sit obscurè enũciandum, cuiusmodi sunt, quę uocantur ænigmata. Grande autem quod ma- Obscura. Grandi genus.

gnificum est, atq; præditum dignitate, fit primùm pertractatione rerum magnarum, siue ad Deos illæ, siue ad homines, siue ad naturæ uim attineant, et grauitate sententiarum. Deinde simplici, nudaq; uel affirmatione eorum, quæ dicuntur; uel negatione, & detractione; cũ multa ad uerbum unum referuntur; & oratione immutata, & inuersione, ac translatione, & plus ad intelligendum, quàm dixeris, significatione; & delectu uocabulorum, quæ plenius grãdiusq; sonẽt; Iam & coniũctione nõ adeo exquisita, ut curæ plurimũ adhibuisse uideamur, ne sæpe asper fiat, neq; disiunctus, neq; hians literarum cõcursus; & absolutione mẽbrorum, et clausulis, quæ numeros habeãt stabiliores, quales profectò sunt, cum pedes longiorem in syllabam exeunt, ut,

Principiò cœlum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum Lunæ, titaniaq; astra
Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Asperum ac triste.

Et quæ sequuntur. Asperum uerò, ac triste ab omni uenustate, ac iucunditate dicendi abhorret, quod erit, si uel Senatum, uel Principem, uel aliquẽ ex his quos quidem debeas reuereri, apertè increpaueris, seueritate sententiarum, uerbis duriter translatis, quorum præterea coniunctio asperiores habeat concursus, tristia conformatæ locutionis, instandi causa, & exagitãdi, oratione uel intermissa, uel incisa, numerisq; durioribus conclusa, ut,

Quid miseros toties in aperta pericula ciues
Proijcis, ò Latio caput, horum & causa malorum?

Acre.

Acre autem erit, si uel pares, uel inferiores authoritate incuses, aut insectere, sententijs, uerbis, figuris eloquendi, numeris, clausulis propemodum eisdẽ. Nam ut superiore, hoc etia genere tum inuertimus uocabula, facimus, permutamus, tum auertimus orationẽ abducimus animum audiẽtis, interrogamus ad uim acriorem, ante oculos ponimus ad acriter irridendum, ut,

Non pudet obsidione iterum, ualloq; teneri
Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt?
Quis Deus Italiam? quę uos dementia adegit? Et paulo post,
O ueræ Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta
Dyndima, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana uos, Buxusq; uocat Berecynthia matris
Ideæ, sinite arma uiris, & cedite ferro. Et
Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus author
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanęq; admoruũt ubera Tigres. Et Hoc mihi de te
Nate refers? hoc sum terraq; mariq; secuta?
Figite me, siqua est pietas, in me omnia tela
Cõijcite ò Rutuli, me primã absoluite ferro. Et En dextra, fidesq;.
Quem secum patrios aiunt portare penates?

Quem subijsse humeris confectum ætate parentem?

Quæ incusatio quanquàm hoc acrior fit, quo magis à lenitate abhorret, admittet tamen interdum, quo leniatur, ut,

Quo moriture ruis? maioraq; uiribus audes?
Fallit te incautum pietas.

Illustre.

Illustris autem oratio fit, si de rebus præclarè gestis luculentæ sint, splendidæq; sententiæ; si ponamus uerba grauitate delecta, ac trãslata, & superlata, & ad nomen adiuncta, & duplicata, & enunciata dissolutè, & idem significantia, atque ab ipsa actione, atque imitatione rerum non abhorrentia, & quæcunque ita conformantur, ut uim, atque splendorem habeant; si rem constituamus penè ante oculos. Nam in explanatione rerum præclara seruari oportet, quæ dicta sunt de oratione dilucida. Est enim, ut ait Cicero, plus aliquanto illustre, quàm illud dilucidum. Altero fit, ut intelligamus, altero uerò, ut uidere uideamur. Sed oratio cùm in hoc cœpta sit rectè pronunciari, obliquè tamen deinde ad amplificandum, & quidem longius, quàm in illo, profertur; & quibus ampla, atque magnifica numeris, quibus clausulis, qua collocatione uocabulorum, hæc item conficitur, ut,

His super aduenit Volsca de gente Camilla
Agmen agens equitum, et florẽtes ære cateruas, & cætera. Et
Non armis mihi Vulcani, non mille carinis
Est opus in Teucros, addant se protinus omnes
Hetrusci socios, tenebras, & inertia furta
Palladij, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant, nec equi cæca condemur in aluo.
Luce palàm certum est igni circundare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo, & pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum. Et
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterq; ad littora tendunt.

Vehemens et commotum.

Et quæ sequuntur. Si ad hoc illustre genus, illud acre & contortũ, de quo dictum est, accesserit, uehemens erit, & commotum. Hoc enim, instamus, inuehimur, exagitamus, ornatiorem quidem certè in modũ & ampliorẽ, quàm cùm acriter dicimus. Nam & multa præterea coaceruamus, et una in re cõmoramur, eamq; splendida quidem oratione, sed commota illuminamus, ut,

Num linquere castra
Hortati sumus? aut uitam committere uentis?
Num puero summam belli? num credere muros?
Tyrrhenamue fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem? quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hic Iuno, demissiue nubibus Iris? Et
Pulsus ego? aut quisquàm meritò fœdissimè pulsum

Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Tybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe uidebit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die uictor sub tartara misi
Inclusus muris, hostiliq; aggere septus.

Vber ac plenum. *Vber autem, ac plenum efficitur, si ad id, quod uel inferendum sit, uel cõcludendum, & copiam adiungimus uerborũ, et sententiarũ pondus cum eorũ expositione, quæ consequi dicuntur. Et uerò eum in modũ, ut ordo, qui solet in argumentatione seruari, plerumq; peruertatur. Nam ante ppositiones, quæ sequi deberent, assumptiones; ante utrasq; rationes collocamus. Hæc oratio circunscripto quodam ambitu ducitur, eaq; de causa dicitur à Fabio circunducta, quàm Græci περιβολὴν appellant. Atque ut translata, aut quouis alio modo immutata non magis habeat uerba, quàm propria; quibusdam tamen figuris dicendi priuatim exornatur. Hoc enim genere partitè recẽsemus, ut,*

Sunt geminæ somni portæ, quarum altera fertur
Cornea, qua ueris facilis datur exitus umbris,
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falsa ad cœlum mittunt insomnia manes. *Et*
Omnibus hic erit unus honos, tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliua.
Primus equum phaleris insignem uictor habeto,
Alter Amazoniam pharetram, plenamq; sagittis
Threcijs, lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & toto subnectit fibula gemma,
Tertius argolica hac galea contentus abito. *Et eligimus,*
Vos animum hanc potius quocunque absumite leto. *Et*
Vos ò potius miserescite uenti,
In rupes, in saxa; uolens uos Turnus adoro,
Ferte ratem, seuisq; uadis immittite Syrtis,
Quo neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.

Et cũ quid sumpserimus, id quod consequatur, annectimus hũc in modum,

His animaduersis, terram multo ante memento
Excoquere, & magnos scrobibus concidere montes,
Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas;
Quam letum infodias uitis genus. *Et*
His actis, aliud genitor secum ipse uolutat,
Iuturnumq; parat fratris dimittere ab armis.

Et seriem loquendi coniunctione aliqua continuamus, ut,

Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituraq; addere Troiæ.
Teq; tuosq; iuuat, patet isti ianua leto.

Iamq;

Iamq; aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras. *Et*
Cùm tibi sollicito secreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inuenta sub Ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enixa iacebit
Alba solo recubans, albi circum ubera nati,
Is locus urbis erit; requies ea certa laborum.

Atque his utimur uerbis, quæ inter se referuntur, ut,

Quantum mutatus ab illo
Hectore? qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes. *Et*
Pascentes illæ tantùm prodire uolando,
Quantum acie possent oculi seruare sequentum.

Est etiam ut comparationem faciamus, ut,

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros, quam mille sequutæ
Hinc, atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero; gradiensq; Deas supereminet omnes,
Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus,
Talis erat Dido, talem se læta ferebat.

Et altero sublato, alterum subijcimus,

Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ,
Culpatúsue Paris, uerum inclementia Diuũ *Has euertit opes.*

Atque ita copulamus, ut etiam dirimere uideamur, ut,

Non animum modò uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter uires dabit omnibus æquas
Terra, neque in uacuum poterunt se extendere rami.

Et ea contortione complicamus orationem, atq; conuoluimus, ut nisi tota absoluatur, pars eius nulla comprehendi possit, cũ ita inter se membra illius connexa aptaq; sint, ut quoniam una comprehensione continentur, alia sine alijs omnino intelligi nequeant, ut,

Fando aliquid si forte tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
Trisontem infando iudicio, quia bella uetabat
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent,
Illi me comitem, & consanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. *Et*
Si tanta inquit sunt præmia uictis,
Et te lapsorum miseret; quæ munera Niso
Digna dabis; primam merui qui laude coronam;
Ni me quæ salium fortuna inimica tulisset?

Et intericiendo orationis ordinem interturbamus, ut,

O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.

Concinnum. Atque hæ quidem dicendi figuræ ut crebrius inter se, aut cũ alijs coniunguntur, sic orationẽ efficiunt plenioręẽ. Concinnũ verò nõ quo aptè inter se et uerba, & membra ita conueniunt orationis, ut ueluti corpus sanguine diffusum decore quodam ornetur (id enim in omni genere dicẽdi tuendũ est,) sed hoc loco id esse intelligimus, qd̃ pter uenustatem cõpositionis, uerborũ quoq; habeat delectum, quæ sint nitida, non inculta; suauia, non aspera; breuia, non procera; quæ uel translatione, uel inuocatione, uel aliqua id genus immutatione inuertantur, eorumq; ornamentorum lumine illustretur, quæ sint cùm aut repetuntur uerba, aut similiter uel cadunt, uel desinũt, aut multis modis contraria cõtrarijs referũtur, aut cũ uel à quo ducatur unũ quodq; eorũ, quæ dicimus, uel quo cõcludatur; certũ ponit uerbũ; aut cũ traducimus, aut trãsgredimur, aut circũscribimus, aut cõplicamus, aut auertimus, aut coniunẽta partiendo seiungimus, aut cũ gradatim sursum uersus redit. Quæ quidẽ oĩa potestis iam planè, ac sigillatim exẽplis à me cõmonstrata meminisse. Cõficit etiã continuatione uerborũ; in qua quidẽ illa sic iunguntur, ut neue asperius concurrant, néue hiatu uastiore ducãtur, néue crebrius syllabarũ, aut literarũ cõuenientia concinãt; néue eadẽ sæpius iterent, & cõprehensionibus, et pedum ijs itidẽ numeris, quos amplæ orationi cõgruere diximus. Ac nihil demũ est, quo pulchrior, q̃ uariet ate reddatur locutio. Id porrò erit, si genera, figurę, casus, tempora, modi, personæ, numeri, quæcunq; uerbis accidunt, uarient, si dispares uerborũ sint accentus, dispar pnunciatio, dissimiles exitus, inæqualia spatia syllabarũ, si cõtractioribus pductiora, si ijs, quæ cõstãt, ex pausis, quæ ex pluribus syllabis, interponantur. Si clausulæ, numeri, formæ, rationes deniq; dicẽdi mutẽtur, ut omittũ, genus hoc quãto uenustius, quãtoq; concinnus existat, si qua ex rebus, quæ tractantur, uarietas accedat, cuiusmodi est,

Oceanum interea surgens aurora reliquit,
It portis iubare exorto delecta iuuentus,
Retia rara plagæ, lato uenabula ferro,
Massyliq; ruunt equites, & odora canum uis.
Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant, ostroq; insignis, & auro
Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.
Tandem progreditur, magna stipante caterua,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum,
Aurea purpurea subnectit fibula uestem.

Et cætera. In qua quidem narratione nihil profectò concinnitatis, qd̃ ex uarietate proficisci possit, desideratur, sive ad res, sive ad uerba, sive ad collocationem, sive ad conformationẽ orationis, sive ad numeros, sive ad clausulas libeat spectare. Incitatũ uerò, atq; uolubile erit, si crebrò incisa, & in-

terpuncta, atq; uibrata sint ad suscitandum, & commouendum oratio, ut,

Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachrymas uictus dedit? aut miseratus amantem est?

Nam ad hoc plurimum ualet amplificatio, sive diuersa, sive eadem congeramus, itaque ut id præstemus, interrogamus excitandi causa; diffoluimus; quę idem ualeãt, coaceruamus; repetimus; membratim, incisimq; insistimus; uerborum hiulcum æquè, ac asperum cõcursum uitamus; pedes, qui in breues desinant syllabas, adhibemus; uersus, qui uel pauciores habeant accentus, uel numerorum celeritate fluant, conficimus, ut,

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. Et
Panditur interea domus omnipotentis Olympi. Et
Cornua uelatarum obuertimus antennarum.

Morati. Nam qua celeritate confecta res est, eandem uerbis expressit. Morati aũt cùm duplex sit ratio; altera quidem, qua sua cuiq; personæ accommodatur oratio, iam latè, abundeq; à nobis exposita est cum hodierno sermone, ubi de aptè dicẽdo uerba fecimus; tum maximè superiorũ dierũ, cùm, quid esset, docuimus, quod Græci Ethicon appellant. Altera verò, qua is, qui loquitur, ut sit affectus, & institutus, perspicitur; & si ibidem quoq; affatim explicata est, quoniam tamen hæc genera quædam dicendi complectitur, hoc loco uidetur mihi non esse prætermittenda. Quia verò tum leuiter animi hominũ, tum uehementer affici consueuerunt, uehementiores quidem affectus graui oratione, leuiores autem hoc genere effinguntur, quod, ut diximus, uel tenue, uel suaue, uel acutum, uel submissum, modestumq; est. Ac tenue quidem fit, si res humiles attinguntur, cuiusmodi sunt, quæ ad pueros, quæ ad fœminas, quæ ad agrestes, rusticanosq; hominens attinent, si pronunciantur sententię uulgares, & quotidianæ, quibus quod simplex, attenuatumq; sit, comprehendatur. Si purè, ac simpliciter adeo loquimur, ut nihil excogitatum, nihil exquisitiũ, nihil ex arte ꝓfectum attulisse uideamur, si & eundem in modũ uerba trita, ac de uulgi sermone abrepta collocantur, & oratio conformatur, mẽbris continetur, numeris colligatur, clausulis insistit, ut in eo, qd̃ dilucidũ, purumq; est, fieri docuimus. Sanè hoc genus dicendi, quando & Comicus Poeta, & Bucolicus sibi uendicat, quomodo tractetur, facilè erunt documento, quæ Virgilius Theocritum imitatus; quæq; Terentius, Plautusq; conscripserunt. Suaue aũt erit (ut Ciceronis quidem uerbis hoc definiam) primũ elegantia, & iucunditate uerborum sonitium, & lenium. Deinde coniunctione; quæ neq; asperos habeat concursus, neque disiunctos, atque hiantes, & sic circunscripta non lõgo anfractu, sed ad spiritum uocis apto; habeatq; similitudinem æqualitatemq; uerborum, tum ex contrarijs sumpta uerbis, crebra crebris, paria paribus respondeant; relatq; ad idem uerbum, & geminata, atq; duplicata, uel etiã sæpius iterata ponant, constructioq; uerborũ tum coniũctionibus copuletur; tũ dissolutionibus relaxet. Fit etia suauis oratio, cũ aliqd aut inuisum, aut inauditũ, aut nouũ dicas. Delectat. n. quicquid est admirabile, maxim

Tenue.

Suaue.

mouent, ea, quæ motum aliquem animi admiscent, sensumq; excitant uoluptatis. In hoc idē genus conijcimus, quæ fessiuiter, & urbanè, & lepidè dictū tur, quæ ad exornandum ualent, quæ posita sunt in delectādo, modò, q̄ turpe est, uitetur. Nā q̄ obscœnū est, si minus honestè, minusq; decorè ꝓprijs uerbis enūcietur, trāslatis ad hoc significandū utemur, & immutatis, et abreptis ex aliqua sedū earum, in quibus latere ornamenta dicēdi cōmōstrauimus, ut,

Hoc faciunt nimio ne luxu obtusior usus
Sit genitali aruo, & sulcos oblimet inertes,
Sed rapiat sitiens uenerem, interiusq; recondat. Et
Speluncam Dido, Dux & Troianus eandem
Deueniunt, prima & tellus, & Pronuba Iuno
Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther
Connubij, summoq; ulularunt uertice Nymphæ.

Iam & quæ audacter admodum transferuntur (modò nec frequenter, nec duriter id fiat) uel ab inanimis ad animantes, ut,

Vrgeri uolucrum raucarum ad littora nubem.

Vel cōtrà ab animantibus ad inanima, Pontē indignatus Araxes.

Acutum. *Multum habent suauitatis. Acutum porrò erit, si uel in tenui materia quod enunciatur, acumen, argutiarumue aliquid habuerit, quæ enim arguteè, hæc etiam acutè dicuntur. Itaque abhorret ab hoc genere, quod hebes, quod rude, quod pingue sit. Contrà uerò in hoc ipsum conijcitur, quod habeat instanteli, cuius profectò acies non hebescat. Id autem conficitur uerbis, quæ aliter intelligenda sint, quàm ut uulgari consuetudine usurpantur, ut,*

Vndique collecti coëunt

Et quæ transferantur, ubi primùm his usus propriè fueris, quale esset,

Non mihi quærendum, magnus num uinat Achilles,
At num Dardaniæ, quæ quondam, gloria uiuat.

Et quæ partim leuius, partim asperius sint translata, cuiusmodi erit,

Hectora Dardaniæ lumen fleuere parentes
Extinctum. Et quibus immutetur oratio, ut,
Quas prope circunstat magnorum turba luporum,
His nunc præsidio seuorum aduincta canum uis.

Et quibus abutamur, & quæ alio quouis modo inuertantur, & quæ aliquo ex loco exornandi sumantur, si aculeos habeant, ut cùm paucarum sit uel mutatio literarum, uel detractio, uel accessio. Quemadmodum est,

O uerè Phrygiæ, neque enim Phryges.

Vtq; Comicus hac maximè oratione utatur, in Epica tamen poesi id genus haud pauca deprehendes, ut,

Tum credo, cum me arbustum uidere Myconis,
Atque mala uites incidere falce nouellas. Et
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ uehat Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella,

Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles. Et
Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atque idem iungat uulpes, & mulceat hircos. Et
Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat. Et
Egregiam uerò laudem, & spolia ampla refertis
Tuq; puerq; tuus, magnum, & memorabile nomen. Et
Hic etiam inuentum Priamo narrabis Achillem. Et
Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,
Et seruare modum, rebus sublata secundis. Et
Si mihi quæ quondam fuerat, quamq; esse decebat,
Vis in amore foret, non hæc mihi nanque negares. Et
Nūc morere, ast de me Diuūm pater, atq; hominū rex Viderit. Et
Referes ergo hæc, & nuntius ibis
Pelidæ genitori, illi mea tristia facta,
Degenerēq; Neoptolemū narrare memento, Nunc morere. Et
Meq; timoris Argue tu Drance, quando tot stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit; passimq; trophæis Insignis agros.

Submissum uerò, & come, modestiūq; genus est, quo significantur eius, qui loquitur, amabiles mores, qui exprimuntur aut significando iudicio ipsius ex animo humano, ac liberali, aut inflexione sermonis, cū aut augendi alterius, minuendiue sui causa, alia dici ab illo, alia existimari uidentur, idq; comitate fieri magis, quàm uanitate, & permissione, cū ostendimus in dicendo nos aliquam rem totā tradere & concedere alicuius uoluntati, & ante occupatione uel præmuniendo, uel confitendo, uel præparando, uel emendando, uel prætermittendo, uel dubitando. Qui loci ut tractandi sint, exēplis planè ostendidimus; cū, quibus oratio luminibus illustretur, docuimus. Atq; huius comitas, modestiaq; orationis multū ualet ad conciliandum, quo mitiores affectus moueantur. Quorū profectò locos iam dilucidè me cōmonstrasse, ut puto, memoria tenetis. Verba aūt & pura esse oportere, & tenuia, nemo dubitat, sed quibus quidē, ubi opus sit, aut, quod ad nos attinet, extenuemus; aut amplificemus, quod alterum attingit; aut ad exprimendum, quod dicimus, uim afferamus. Vera aūt illa erit oratio, qua, ut quisq; affectus perturbatusq; fuerit, ita uidebitur animatus, atq; ut contenderit cæteros permouere, sic permotū se esse planè ostenderit. Itaq; nihil hæc ficti, nihil simulati, nihil præmeditati habuerit. Quod quidē certè apparebit, si nullā ad id, quod dicturus sis, præparationē adhibeas, sed ita incipias, ut animi quodā impetu ad hoc ipsum pro- Summissum & modestiū. Verum.

Ille nihil, nec me quærentē uana moratur, (rupisse uidearis. *Vt,*
Sed grauiter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge nate Dea, teq; his, ait, eripe flammis. Et
Per sidera testor,
Per superos, atque hoc cœli spirabile lumen,
Tollite me Teucri, quascunque abducite terras. Et

Immo ego uos, cui sola salus genitore reducto,
Excipit Ascanius, per magnos Nise penates,
Assaraciq; larem, & canæ penetralia Vestæ
Obtestor, quæcunque mihi fortuna, fidesq; est,
In uestris pono gremijs, reuocato parentem. Et
Dissimulare etiam potuisti perfide tantum
Posse nefas, tacitusq; mea decedere terra?
Quanquàm præmuniendo ueri species potest etiam elucere. Vt
Infandum regina iubes renouare dolorem. Et præparando,
Præterea, si qua est Heleno prudentia uati,
Si qua fides, animum si ueris implet Apollo,
Vnum illud tibi nate Dea, præq; omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumq;, iterumq; monebo.
Iunoni cane uota libens.
Et ante occupando, quod obijci possit,
Nec uerò arguerim Teucri, nec fœdera, nec quas
Iunximus hospitio dextras.
Et cùm irrisione, quæ aduersarius opposuerat, repetendo, Vt
Nunc Augur Apollo.
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso
Interpres Diuûm fert horrida iussa per auras:

Quid peruersione, ac perturbatione orationis? nonne, cũ palàm ante oculos fiat cõmotio dicentis, eos, qui audiunt, cõmoueri itẽ oportet? Verba autem erunt eiusmodi, ut sententijs ad animi motus exprimendos congruerint. Nam alia quidẽ aliter affectos, decẽre consentaneũ est, ut in ira exprimenda acriora, in commiseratione leniora, ipsaq; tenuia, puraq; adhibeantur, quod quidem ipsum poete iudicio relinquendum est. Eadem & rerum illarũ habenda est ratio, quibus hoc genus exornatur, & orationis continuandæ. Nã uehementius, qui perturbatur, abducet auditorem; à cursu orationis sese auertet; dubitabit; interrogabit indignandi, instituendiue causa; uerba iterabit; ab eodem uerbo ducet sæpius orationem; in idem conijciet; præcidet, ne longius feratur, quod dictũ est, emendabit. Ac cæteris id genus utatur oportet ornamentis. Clausulis autem ut breuioribus, q̃ qui mitius affectus fuerit, insistet; ita asperioribus numerorum modis, ne mollioribus iucunditatem exquisisse uideatur. Quod in primis huic ducimus uitandum, qui cupit, à se uerè dici, præseferre. Est præterea quoddam genus, quod, cùm à cæteris omnibus, quoniam consistit in obiurgando, habetq; quod graue, molestumq; sit, Hermogenis sententia separetur. Mihi quidẽ tum in seuera ac tristi, tum in acri oratione uidetur esse collocandum. Id autem conficitur, uel apertè exprobrando, cùm multa te contulisse commemores; parum, aut nihil omnino mercedis, et contumeliam, detrimentumq; prò tot beneficijs accepisse, cumq; malos honore, bonos ignominia pœnaq; affici ostendas, uel dissimulando, cùm

postules aliud, atque cupias. Exprobrat enim Virgiliana Dido, cùm ait,
Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus author
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæq; admorunt ubera Tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad maiora reseruo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lachymas uictus dedit? aut miseratus amantem est?
Quæ quibus ante feram? iam iam nec maxima Iuno.
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.
Nusquàm tuta fides, eiectum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui,
Amissam classem, socios à morte reduxi.

Quæ quidem oratio uidetur etiam esse particeps eius, de qua paulo ante dictum est. Dissimulat autem Venus cùm petit secus, atque optat,
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Idaliq; domus, positis inglorius armis
Exigat hic ævum, magna ditione iubeto
Carthago premat Ausoniam, nihil urbibus inde Obstabit Tyrijs.

Ac tametsi hoc genus interdum uel asperiorem, uel acriorẽ uim habet; nonnunq̃ tũ, præsertim cùm dissimules, moderato illi, summissóq; adeo simile est, ut eisdem propè conficiatur uerbis, eandemq; illorum collocationem, eandemq; formam requirat. Age uerò grauis oratio, quæ Epicos maximè decet, nonne erit, si magna cũ dignitate, quæ et uim, & acumen, & pondus habeat, cõplectatur uerbis factis, translatis, ab usu quotidiano & cõmuni remotis, interdũ etiam priscis, & uerò constructis ornatè; grauiq; aures numerorũ percussione feriat; atq; luminibus dicendi maioribus illustretur, ut neq; splendorem in ea, neq; amplitudinem maiestatemq; desideres? cuiusmodi est, Graue apparens.

O' præstans animi iuuenis quantum ipse feroci
Virtute exuperas; tanto me impensius æquum est
Consulere; atq, omnes metuentem expendere casus. Et reliqua.

Atque in hac quidem oratione & inest grauitas, & apparet. Sed reperitur quæ grauis numrũ cũ sit, neutiq̃ esse uideatur. Quo in genere eo plus artis adhibetur, quo magis, quod graue est latet. Nec enim sententiarũ, nec uerborum, nec exornationis quicq̃ habet, quod exquisitũ sit, minimeq; uulgatũ. At quod altius insideat, continet; quoque grauius, qui audit, moueatur. Graue occultum. Vt

Ante equidem summa de re statuisse Latini
Et uellem, & fuerat melius, non tempore tali
Cogere concilium, cùm muros obsidet hostis,
Bellum importunum ciues cum gente Deorum,
Inuictisq; uiris gerimus, quos nulla fatigant
Prælia; nec uicti possunt absistere ferro.

Nam quid in hac oratione cõperies, quod cõmune, et quotidianũ hab

Quæ sint in hoc genere uitanda.

Verùm id tamen offendes, quod maximè Latinos mouere debuisset. At uitandum est, ne cũ à grauitate abhorreant, quæ dicas, uideri tũ hæc uelis grauiora. Idq; erit si austerioribus, quàm loci, tẽporis, personæ ratio postulet, sententijs utare, si quid anteq̃ probaris, amplifices, si nouis, aut uetustis, aut duriter, aut crebrò immutatis, aut grauioribus, q̃ oporteat, uerbis obscuriorẽ, elatiorẽq; orationẽ, & cõtinuatione durioré, inflatiorẽq; efficias. Sic enim illa cùm turgeat, imperitos fallit specie grauitatis. Quo quidẽ in uitio sunt, qui dum se in hoc genere Virgilianos uideri uolunt, nesciunt heroicam eius poetæ maiestatem imitari. Hoc loco cũ ille paululum substitisset, Hæc, deinde inquit, dicẽdi genera simplicia sunt, quæ cũ à Grecis ἰδέας nominentur, à nobis formæ dici possunt. An præterea, qui partitè magis hæc persequi uelit, plura sit reperturus, non est sanè instituti nostri disserere, sed qui in hoc exquirendo uersantur, ijs disputandum relinquo. Verũ enim, ut aliæ quoq; reperiãtur formæ, nõ est, quin illis generibus comprehendantur. Ne quis aut existimet uelim hæc docere mei cõsilij fuisse, ut horũ aliquo simplicũ generũ poema censeam esse conficiendum. (Quod nam carmen offendas, quod priuatim omni ex parte & absolutè uel dilucidũ sit, uel concinnum, uel grande, uel incitatũ, uel simulati nihil habens, uel moratum, uel graue?) Sed illa esse profectò eiusmodi, ut nusquàm adeo simplex dicendi forma cõpeniatur, quæ nulla cũ alia sit admista. Illud porrò perfectũ, & optimũ esse in poemate dicendi genus probari, quod ex ijs omnibus eloquendi formis, aut certè ex plerisq; conficitur. Itaque poeta is, quem instituimus, quæ sequi debeat inscribendo, teneat esse in primis quod graue est, quod magnificum, quod suaue, quod moratum, quod uolubile, quod circunscriptum & uber. Deinde quod asperũ, quod acre, quod uehemens. Tum quod perspicuum, quod illustre, quod uenustum pro ut singula rebus atque personis accommodari oportebit. Cùm enim suadentis personã induerit; granditatẽ, grauitatemq; orationis & dignitatẽ ad hoc ipsum adhibebit, nec sine iucunditate, & quæ motũ aliquẽ animi excitet. Acumen aũt, & quod præmeditationẽ præseferat, uitabit. Cùm accusantis; si publica res agetur, eadẽ ferè genera uelim consectetur, dummodo uim, & copiam, & celeritatem, & uehementiã tueatur, atq; cũ grauitate subtilitatẽ, ubi opus fuerit, coniungat, sin priuata, quæ propriè deliberationẽ attingunt, omittet, cætera seruabit. Cùm defendentis; modesta, ac submissa, & tenui forma dicendi, & quæ ad miserationẽ inducat, utetur. Cum exornantis; ad ea, quæ in suadendo diximus esse custodienda, suauitatẽ, atq; splendorẽ adiunget, & quod rotundum, quod plenũ, quod amplum, quod pulchrũ, quod luculentum sit, & illustre, qui quidẽ ut incitatior, atq; grauior in suasione, ita magnificentior, atq; splendidior in exhortatione apparebit. Iam uerò in ordiendo moderatè, & submissè, & iucundè, atq; ad mitiores animi motus accõmodatè, & apertè sibi dicendũ esse cognoscat, interdũ etiam circunscriptè, ac plenè, nec cæteras omnino formas excludat, ubi id suscepta rerũ materia poposcerit. In narando uti et oratione accõmodabit, quæ modo aspera sit, modo lænis, modo loculẽta,

An plures dicendi formæ reperiantur.

Non est poema, quod prorsus omne aliquo certo simplicũ generũ conficiatur.

Quæ sequi debeat poeta

modo

modò grauis, modò magnifica, dilucidè tamen, & suauiter dum sibi narrandum esse meminerit, & asseueranter, ac neutiquàm nudè, sed ita quidẽ, ut et moueat. In fabula explicanda, & in ea re cõsirmanda, quę proposita est, uim omnẽ effundet orationis, quæ, ut ita dicã, spirans, & animata tũ impellat, rapiatq; auditorẽ, quo uelit, tum leniat, atque conciliet. Quod facilè præstabit; si uel acriter, asperè, uehementer, acutè, magnificè, grauiter dixerit, uel modestè, tenuiter, submissè. Quid in perorando? nónne acer erit, ardens, erectus, grauis, ad uehementiores animi motus excitandos, uti ad mitiores lenis, & moderatus? Nec plenũ illud dicendi genus, quod à Fabio diximus circunductum appellari; neq; quod amplũ est, quod splendidũ, quod luculentum neglexerit. Sed quid ego tam multa ea de re, quæ copiosissimè ab ijs pertractata est, qui Rhetorica præcepta tradiderunt? & iam tẽpus equũm spumãtia soluere colla. Quandoquidem immensum spatijs cõfecimus æquor. Ac finem de poetica præcipiendi faciamus. Sed, si admonuerimus, quem instituimus poetã, ad diuinam eam uim naturæ, qua pollere debet in primis, ad eam doctrinam, quæ omnium optimarum artium cognitionẽ comparanda est, ad hanc facultatẽ, quæ uti in rebus, atq; in uerbis posita sit, docuimus, multã corũ, qui in quaq; uarietate literarũ maximè probantur, lectionem, atque illorum imitationẽ, quorum authoritas summa sit; assiduamq; scribendi exercitationem accedere oportere. Nam Philosophorum ij præcipuè sunt legendi, ex quibus & rerum, & uerborum copia petatur. Quid enim Platone similius poetæ, siue dicendi facultate, siue rebus fingendis, quæ ad uim & Deorũ, & naturæ cognoscendam plurimum ualeant, atque ad bene beateq; uiuendum? Historia quis dubitat non ali tantum poema, sed etiam augeri? Est enim, ut ait Fabius, proxima poetis, & quodammodo carmen solutum, cùm ut legentem magna cum eius uoluptate in admirationem adducat, utatur eadem propè exponendi ratione; ijsdemq; ferè luminibus orationem illustret. Oratorum genus cũ huic finitimum sit, uimq; omnem dicendi effinxerit, nullamq; orationis formã non aptè expresserit; ijs legendis, qui sit poema scripturus, plurimum ad eloquendum proficiet. An poetarũ aliquis (Virgilium semper excipio) tantundem, quo grauius, plenusq; carmen, atque sonantius reddatur, ac elegantiorem in modum exornetur, quantũ Cicero suppeditauerit? Quanquàm enim in uerborum inuersione, in oratione immutanda, in eloquendi figuris poetæ plus audaciæ sibi sumunt, quàm oratores, id tũ non adeo faciunt audacter, ut quẽadmodũ Græci, sic nostri, præsertim qui Augusti temporibus floruerunt, alienа lingua locuti esse uideantur. Nam pedibus orationem Virgilianam si soluueris, quo minus eam optimo quoq; scriptore dignam arbitrere (demptis quidẽ perpaucis, quę uel prisca, uel innouata, uel peregrina sunt, poetarum aũt licẽtiæ concessa, ut alio loco dictum est, ad dignitatem) nihil profectò offenderis. Iam uerò magni refert quos tibi imitandos proponas. Cùm enim imitatio ea ui sit, qua, ut Gauricus ex Platonis sententia disseruit, perfectè speci rei, quam effingendã susceperis, exprimatur, at difficultatis id ha

Qui sint legendi.

litudo, ut ne ipsa quidem natura hoc præstare potuerit, quin ea, quæ simillima esse perspiciamus, aliqua nota internoscantur, si deteriores imitabere; in hoc genus delaberis, quod infimum sit, minimumq; laudis mereatur. Sin præstantiores in dicendo, cùm cecideris, consistes tamen in ea scribendi ratione, ut illorũ in numero, qui ualde probantur habearis. At enim in hoc nõ adeo laborandum est, quod cùm multi sint, quos imitari oporteat, quos cæteris anteferas, ignores. Quando in Epicis unum ex nostris duntaxat habes Virgilium, cuius te similem ut facias, omni studio atq; labore sit enitendum. Nec uerò id sic accipias uelim, ut in cæteris nihil esse putem, quod imiteris. Sed imitatione digna quæ sunt, non facilè perspici ab eo presertim, qui à perfectione cùm absit, illam imitando se sperat adepturum. Nec prbanda est imitatio, cùm totidem uerbis aliquem locum, nisi ab alienæ linguæ scriptore, transtuleris. De Græcis enim, Latinè qui scripserit, ad uerbum multa expressisse, ut de Homero Virgilius, datum est semper, ac nunquam non dabitur laudi. Ex his, quæ Latini pertractant, aliquid assumere, quis unquàm probauerit, nisi id suum ut sit, ita effecerit, ut alienum haud quaquàm agnoscatur. Nam eius in hoc industria laudanda est non secus atque apum, quæ ita uini florum in mellis suauitatem conuertunt, ut illorum profectò nihil in hoc deprehendas. Itaque ex eo, quem tibi effingendum susceptisti, locutiones, & uerba, siue propria fuerint, siue immutata, arripias censeo, & eius exẽplo orationẽ audeas immutare. Cùm enim ex alijs ille pleraque assumpserit, multa etiam inuerterit, cur id tibi non permiseris, quod sibi ille quidem licere existimauit? In cæteris, quæ is ipse excogitauit, quam eidem illi animaduertis poeticam placuisse rationem, eandem uelim sequaris. Hanc speciem planè retinebis, non cũ & res, & uerba, quibus ille poema suũ confecit, arripueris; sed de qua multa præcepta sunt, cùm uim eandem inueniendi, collocandiq; effinxeris, cumq; eandem eloquendi formam adumbraueris. Quando enim quibus de locis ea petantur, quę orationem illustrant, commonstratum est, non aliunde, atque ille, immutationes uerborum, exornationesq; dicendi ad rem uel eandem, uel similem exprimendam assumpseris. Nam Virgilianum illud,

Si lumina uitæ Attigerint.

Pro eo quod est, si nascentur, cùm ex consequentibus depromptum sit, eodem ex loco est, quod ad ipsum perpulchre sumas hoc modo.

Aetherij si frigoris auram Sentire incipiant.

Ante enim, quàm ex aluo matris prodirent, continuato quodam calore duntaxat afficiebantur. Atque ille idem Maro ad hominis ortum quoque significandum, figuræ locum mutauit, ut nobis hoc idem permitti animaduertamus. Nam ex antecedentibus, illud est,

Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

Tum Cossus, Gratiæ tibi, inquit, Syncere plurimum habeo, quòd me, quæ exerant Romæ, qui se unos Latinæ linguæ censores haberi uolunt, ea reerasti. Quæ nam, inquit ille, hæc est religio? Vt ne quod uerbum,

inquit, nobis liceat aut inuertere, aut transferre, aut innouare. Sed quæ inuerterint, quæ trãstulerint, quæ innouarint ueteres ij præsertim, quos imitemur, his tantummodo uti concedatur. Cùm enim Cæsaris, Augustiq; tempora sint consecutę illorum hominum ætates, qui, dum id facerent, quod erat purũ, & elegans Latinę locutionis, deprauatum adeo nobis reliquerunt, ut deinde Barbaris in Italiam inuadentibus omnem illa splendorem amiserit, nónne statim ut uoluerimus hoc idem nobis concedi, qui doctissimorum hominum opera nitor iamdudum illi restitui cœptus est, euanescet? Neque illud Horatianum ad id ualere arbitrantur,

Licuit, semperq; licebit
Signatum præsente nota producere nomen.

Vt qua nos loquimur lingua, non qua ueteres locuti sunt, ea scribendum esset. Cùm Latinè & si multa scribimus, iandiu tamen desierimus loqui. Nec magis nostra Latina sit, quàm Greca locutio. Nec probãt, quod à te factũ est.

Flauicomæ Amphitritæ,

Cùm esset Auricomæ, quo idem planè dicere potuisses. At contrà aderãt, qui hoc tuerentur, cùm illa ex Horatio proferrent,

Quid autem
Cæcilio, Plautoq; dabit Romanus ademptum
Virgilio, Varioq; ? ego cur acquirere pauca
Si possum inuideor ? cùm lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerũ Nomina protulerit.

Quæ quidẽ ad scriptores referri oportet, pro eo ac si etiã tum in cõtrouersia uersaretur, num uerba essent innouanda, cũm omnes Latinè loquerentur. Quanq; enim ætate illa usus loquẽdi populo concedebatur, scientia uerò doctis reseruabatur, nunc tũ dicebant penes eos, qui scribũt, utrunq; consistere. Idq; in uocabulis faciendis potissimum asserebant, quod ait ille idem Horatius,

Notum si callida uerbum
Reddiderit iunctura nouum.

Itaq; si ueteres, ut uoces coniũgerẽt, dari sibi uoluerunt, cũ dicerent, Auricomos fœtus, & centimanum Briareum, ad exprimendum quod Græcè est, χρυσοκόμας *& quod* ἑκατόνχειρα, *cur posteris uetitum erit ne pro* ξανθόκομος, *&* καλλιπλόκαμος, *&* ἔυκομος *flauicomus, & pulchricomus faciant? Nisi quæ dicuntur apponi, cum ijs, quibus apponuntur coniungenda non sunt. At qui Magnanimus Latinũ sanè uerbũ est. Nec ita diuersi generis inter se uerba sunt, quæ non iuncta reperiantur, ut clarisonas uoces, raucisonis bombis, Grauigenas domos, fluentisono littore. Coniferam pinum, Nisigenis Silenis, Veridicum oraculum, iustificam mentem, unanimis coniugibus, falsipar Amphitrioniades, Multiuola mulier, omniuoli Iouis, Vngenam uam, mortiferis succis, mortiferam cladem, odoriferis lancibus Canes, leuisomna canum corda, discolor Indus, uersicoloris plum gerũ genus, lætificos fœtus, frondiferas sylua, sylufragis fabri*

littore, alienigenis rebus, suauiloquenti carmine, suauiloquis uerbis, suauiloquentia, magniloquētia, multigenis, figuris, omnigenos colores, cęcigeni homines, primigenū diem, cornigeras oues, multimodis, omnimodis, omnimodè, auctifici motus, Montiuago generi ferarum, Munificare, terrificare, horrificare, terrrificas cristas, terrifico sonitu, largifica stipe, lanigeræ pecudes, omniparentes terras, frugiferentes, semiferas hominum species, putricaua corpora, pennipotens auium genus, floriferis saltibus, sensiferos motus, falciferos currus, præposterus ordo, multimodi motus, cinefacere, horriferos æstus, suauidicis uersibus, noctiuago strepitu, noctiuagę faces cœli, multangula quædam, prædulce, explaudentibus alis, omniuaga Diana, Vulginaga Venere, uulgiuago more ferarum, summopere, morigeris modis, morigera natura, Vitigeni liquoris, tripectoris, tergeminiq; Gerionæ, æstifeuas partes, luciferas, signifera positura, prænuntius Veneris zephyrus, Altitonans Vulturnus, semimarinis corporibus, barbigeras pecudes, setigeris suibus, spumigeri suis, pennigeri Amoris, ossifragæ aues, sylueſtre genus terrigenarum, ueliuolum mare, nauigerum, frugiferos fœtus, igniferi fulminis, tabificijs radijs, roriferis umbris, ædituentes, armipotens Mauors, Terriloquis dictis, flexanima oratio, flexiloqua oracula, fœdifragi Pœni, uersutiloquas malitias. Omitto quæ unius eiusdemq; sunt rationis, ut coniungantur, cuiusmodi sunt, Alipedes, capripedes, æripedes, lauricomos montes, anguimanos, bucera corpora, præproperanter, præporro, utriusque generis præterea sexcenta. Hæc illi inter se. At ea religione, quæ mihi erat iniecta, nondum solutus uidebar. Quare tibi gratias ago Syncere, quod ea nūc authoritate tua me liberasti. Mihi uerò, ille inquit, hoc in primis lætandum est, quæ uestra causa dißeruntur, apud uos adeo ualere. Sed uetus hæc disputatio, concertationisq; plena est, & quidem de re sæpius in doctissimorum hominum congressionibus iactata, & excussa. Ac sanè illorum, meaq;, & horum quoque sententia, quorum iampridem ea de re mihi perspectum iudicium est, sic uobis erit constitutum, ut simplicia uerba à disertissimis uiris earum ætatum petantur, quarum Latinè, emendateq; scribēdi summa fuit laus. Si minus in ijs reperiātur, quæ requirimus, à cæteris quærantur, qui deinceps in bene scribendo floruerunt. Si ne in ijs quidem, à fonte Græco hauriantur, nisi mauis circunscribenda tibi esse, quorum uocabula desiderantur. Nam ubi in id incideris, quod necdum Græcè, nec Latinè, quo appelletur, inuenerit, aut fingas, quo rem nouam significes, aut, qd tutius sit, eā circumloquaris oportebit. Nec tamen eandem rationem esse coniunctorum existimes uelim, ut ijs duntaxat utendū sit, quæ ueteres coniunxerunt. Nam usu quæ sint, uocum coniunctione uerba iuouare (modò id facias parcè ortunè) nulla tibi lege nefas esse putaueris. Age uerò ut multa scri- ne, & celeriter possitis, quantum exercitatio præstabit? Quonāmo maximè scribēda sint, animaduertēdū in primis admonuit Fabius, lle iubet, uel tardus, dum diligens sit, stilus. Quæramus opti-

ma, nec primò se offerentibus gaudeamus, adhibeatur iudicium inuentis, dispositio probatis. Hæc ut diligentius exequamur, proxima erunt sępius repetenda. Nā præterq; qd prioribus sequentia sic melius nectūtur, calor quoque ille cogitationis, qui scribendi mora refrixerit, ex integro recipiet uires, et uelut repetito spatio impetum sumet. Interdū tamen, si feret ingenij flatus, dāda sunt uela, dum ne indulgentia illa nos fallat. Omnia enim dum nascūtur, placent. Sed redeundū est ad iudiciū, & suspecta facilitas retractanda. Sic Virgiliū paucissimos die composuisse uersus author est Varus. Atq; summa hæc est rei, cito scribendo non fit, ut bene scribamus, bene scribēdo fit ut cito. Nec uerò illorum mihi diligētia pbatur, qui nimis elaborādo faciūt, ut nihil denique scribant. Nihil est enim, quo sibi faciant satis, oīa mutant, oīa secus, atq; occurrerāt, dicunt. Nec facilè dictu est, utros peccare magis existimem, quibus oīa sua placent, an quibus nihil. Vt enim illorū facilitas reprehendēda est, qua sibi nimiū indulgēt; sic horū iniquitas accusanda, qua nihil magis pbant, q̄ quod ipsi nō inuenerint. Ex quo fit, ut per pauca hi scribāt, aut certè ad scribendū reddant segniores, contrà illi per materiā stylo q̄ uelocissimo decurrant, & sequentes calorem, atq; impetum ex tēpore carmē, quam sylua uocant, effundant, sed repetere deinde cogātur, & cōponere, quę temere effutierant. Quanq̄ ita imprudenter oīa congeßerūt, ut uix tandē uerba emēdent. Itaq; ut ille idem Fabius pcipit, ptinus adhibere curā rectius erit, atq; ab initio sic opus ducere, ut cælandū, nō ex integro fabricādum sit. Verū enim exercitatio, qua & copia, & celeritas rectè scribendi comparatur, hæc erit si Græca uertamus, ut ueteres fecerunt. Quidnam in Terētio, quid in Horatio, quid in ipso deniq; Virgilio præclarū est, qd non ex aliquo Græcorū poetarū arreptum sit? Si ex Latinis etiam nō pauca exprimātur, ac de historijs quidem, & de orationibus nō ambigendū est. Multa enim in his poetico quodam et numero, & spiritu dicta cōperies. De poematis aūt non conuenit mihi cum ijs, qui omnino id prohibent, qd nec meliora possint inueniri, nec paria, quasi ea naturæ sit in eloquendo paupertas, ut eadem de re nisi semel dici probē nō possit. Sed esto, ut ille idem, quē sequor authorem, ait, neq; melius qd excogitemus sit, neq; par, est proximus certè locus. Nisi putas, cū quis interdum bis, aut etiā sępius eandem rem nō eundem in modū pertractat, hunc contendere secum posse; cū cæteris non poße. Cōplures enim, ac propè innumerabil- sunt formæ dicendi, cōplures etiam loci ex quibus uiæ ducātur eodē peruenī- di. Iam ex industria tua pluribus aliquid uersare modis pfuerit, idemq; t- ctare nunc breuiter; nunc amplè, & copiosè; nunc proprijs uerbis, nunc t- flatis; nunc simplici nudaq; oratione; nunc cōformata, luminibusq; uestita; recta; nunc inflexa. Illudq; uirtutis indiciū esse memineris, fundere, quæ- tura contracta sunt; augere parua; uarietatem similibus; uoluptat- sitis dare; permulta bene de paucis dicere. Ad eam exercitation- tudinemq; scribendi accedat cogitatio, qua scribenda quæ s- Hac ingenij uis excitatur, promptiorq; redditur, & celerio-

Quantũ proficiat cogitatio.

Hac res ipsas excogitari oportet, apteq; disponi. Hac eligi uerba, & cõtinuari. Hac totum deniq; contexi carmen, ut ei nihil sanè desit; præterq; ut literis commendetur. Itaq; hæc interdum uel in media rerum actione uacuitatem aliquam nancisciturr, & cùm primũ somnus intermitti cœptus, eũ in animum irrepit, nec otij quicq; in eo ferre potest, qui commentandi studio in cogitãdo assiduè uersari consueuit. Hac facultate, & copia dicẽdi, hac imitatione; hac exercitatione, & consuetudine, hac deniq; cogitatione ubi poema confeceris, ad eius absolutionem emẽdatio tibi adhibenda est, ut nõ modò mutes, adijcias, demas, qd oportebit, sed, quod operæ maioris est, turgida cõprimas, summissa tollas, luxuriosa amputes, soluta cohibeas, exultãtia constringas, ordinis expertia digeras. Itaq; reijcienda sunt, quæ probaueras; excogitanda, quæ non mueneras. Ac probè mihi quidem uidetur esse præceptum in emendando, uti scripta in aliquod tempus recondantur, quæ post aliquot uel annorum spatia, uel mensium, uel dierum, ut operis postulauerit magnitudo, tanq; noua, et alie na repetamus, ne nostra nobis, ut ait Fabius, quasi recentes fœtus blandiant. Nam Panegyricum Isocratis, qui parcissimè, decem annis elaboratum esse memoriæ prodiderunt. Cimæ uerò Smyrnam nouem annorum curriculo cõfectam. Ad quod spatium Horatius, puto, alludens poemata nonum iussit in annum reponi. Nam rectè ille idem author præcipit,

De emendatione.

Carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigauit ad unguem.

Cùm autem causa, cur tanto famæ periculo scripta præcipitentur, sit & amor nostri, & odium laboris, cauendum est, ne adeo tam cara, tamq; iucunda nostra habeamus, ut ueluti eorũ, quæ nos genuimus, uitia neutiq; animaduertamus, aut certè animaduersa blanditijs illorum condonemus, néue labore fugiendo, agrum ita indiligẽter colamus, ut fruges ante euanescant, quàm maturitatem assequantur, néue moræ uitatione fructus immaturos legi sinamus. His contraria uitia sunt eorum, qui nihil unquàm profectò scripserunt, quod non ut uitiosum recognoscant; neque scriptum aliquod in manus unq; sumunt, quod non retractent. Sit igitur his aliquando quod placeat, ac de manibus, quod nulla præterea sit litura delendum, ponatur, illis quod re-
ractatione poliendum esse uideatur, atque in aliquod tempus reseruandum.
Iam probè dictum est,

Membranis intus positis delere licebit,
Quod non edideris, nescit uox missa reuerti.

Iam & præstanti doctrina uirum, & acri iudicio prædituũ eligas tibi ue-
cuius in emendando sententiam sequare. Ne, si te uno censore utaris, in-
r sis in id, quod tu procreaueris, quàm ut censoria notatione in eo
liquid arbitrere. Sic enim id uitaueris, in quod nonnunquam
ut dum uulneri curando faciliorem, leniorem q; se præbet,
deteriorem, sed insanabilem etiam reddat.

EXPOSVI, quæ usu, ac tractatione rerum earum, in quibus non inficias iuerim, mediocriter me esse uersatũ, animaduersa, atq; notata memoria tenebam. Hæc in scribendo si custodire minimè pigeat adolescentes, quorũ causa edita sunt, intelligetis ad eam, quã uestri expectationẽ concitastis, explendam, plurimũ uobis profutura. Et Grauina, his profutura dicis, inquit? immo uerò & nobis ipsis, qui & scripturi ad huc multa, ut opto, & recogniturí sumus. Tam longè ætate prouectis, inquit ille, tamq; diuturno commentandi labore defessis uacatio quidẽ potius, quàm occupatio nobis erat optanda. Sed iam operæ parcamus, quã ita intentè hac in re dẽmus, curaq; uacemus, & ex prospectu maris, qui longè, lateq; hinc patet, animi relaxationem petamus.

FINIS.

REGISTRVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
A A B B C C D D E E F F G G H H I I K K L L M M N N
O O P P Q Q R R S S T T V V X X Y Y Z Z.
A A A B B B C C C D D D E E E F F F G G G H H H I I I
K K K L L L M M M N N N O O O P P P Q Q Q R R R
S S S T T T V V V X X X Y Y Y Z Z Z. A A A A B B B

Omnes Quaterniones.

VENETIIS, APVD FRANCISC
RAMPAZETVM. M

UNIVERSIDAD PRO-
BIBLIOTECA
DE ZARAGOZA